52/9.

*NOBILIORES*

# MATERIAS JURIS NATURÆ,

*Occaſione*

LIB. IV. INSTIT.

*PRÆSIDE*

JOHANNE REINHARDO HEDINGER/

S. Th. D. & Profeſſ. P. O.

*Sigillatim diſceptandas*

H. L. Q. C.

*proponit*

PERPETUUS RESPONDENS

BENJAMIN SCHNEIDER,

*LL. Studioſus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

---

*GISSÆ HASSORUM,*

Typis HENNINGI MULLERI,

Anno MDCXCIX.

*NOBILISSIMO*

*ATQVE AMPLISSIMO VIRO,*

DOMINO

# GEORG. FRIDERICO

FEYERABEND/

UTRIUSQUE

JURIS DOCTORI

MERITISSIMO,

ET

IN IMPERIALIS

REIPUBLICÆ HAILBRONNENSIS

SENATU SUPERIORI

SENATORI

SPECTATISSIMO,

AFFINI SVO ET FAVTORI

HONORATISSIMO,

*SPECIMEN HOC ACADEMICVM*

SACRUM ESTO!

NOBILISSIME ATQUE AMPLISSIME

# VIR,

AFFINIS MAXIME COLENDE.

*HAud operoſus ero in explicandis rationibus, cur paginas haſce rudimentis quibusdam ex Jure Univerſali inaratas TIBI conſecrem, & donarii inſtar in Honoris ſacello dedicati Tuo nomini ſuſpendam. Sola Affinitas præterq; illam amor*

*amor tui ſtudioſiſſimus ſufficere videntur, ne importuno defungar officio. Quam opinionem ſi abs te impetravero, ut, quam impenſo Te affectu proſequar intelligas, confidentiorem Te qualicunq; hoc munuſculo redditum arbitrabor, qui de meâ fide Tibi penitus emancipatâ quam optimè ſperes, & plura ejusdem cum tempore teſtimonia conſequaris. Ita Valere Te ſoſpitemq; cum familiâ agere jubeo*

NOBILISSIMO TUO NOMINI

Gieſſæ. d. XXV.
Martii. MDICC.

*Devinctiſſimus*

SCHNEIDERUS.

# *Ad Lib. IV. Inſtit. Tit. I. uſq; ad IV.*

# DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ EX DELICTO NASCUNTUR.

I.

OBligationibus ex CONTRACTU illæ ſuccedunt ex DELICTO, quarum rationem ut intelligere valeamus, animo repetere neceſſum erit I. Ad ÆQUALITATEM homines naſci, ne deſit cuique, *quod ſuum eſt*; quam reducere & conſervare *Juſtitia* ſolet *particularis*, huic negotio ſtudioſiſſimè intenta. Eapropter, quamprimum *defuerit* alicui *facto alterius*, quod *adeſſe* oportuit, progeneratur *ἀνισότης inæqualitas* reducenda ope & induſtriâ illius, qui fecit. Ad hoc officium II. *tenetur*, qui damnum dedit: Huic enim *nihil Juris* erat, ut alterius bonis calamitatem afferret ullo modo: Ergò cùm aliter penſari nequeat damnum, quàm *expletione*, quis propior erit ad reſarciendum id, quod DEEST, auctore damni? Non ſufficit, læſum repetere τὸ SUUM poſſe, ſed etiam alter obſtringitur, nî temerare Socialis *naturæ inclinationem*, ejusque inſtinctui illudere, quàm rationis dictaminibus obſequi malit, ut ipſe curet, ne alter à ſe læſus de *damni continuatione* conqueratur. Verumenimvero III. in damnorum illatione non fors aliqua aut impetus, ſed *malitia* ſæpius peccare ſolet, quam coërceri pœnis tanquam lupatis intereſt, gliſcentemque, cùm factum infectum fieri nequeat, ſic reprimi & onerari malis, ut alii *exemplum* ſecuturi, nocere impoſterum dedoceantur. Hùc referri oportet, quæ ad *Grotium* l. III. c 20. & 21. breviſſimè diximus. Omninò par erat, malitioſos non *impune* ferre delictum, quod ex Legum violatione *reatum* ſponte & obligationem ad pœnam contrahit. Neque enim cogitari *Lex* poteſt improbis lata & in vitia ruituris, ni *ſanctio pœnæ* is transgreſſioni dira minetur & incommoda, quorum intuitu & conſideratione ſcelus commiſſuri terreantur. Eas autem *minas* præter verba nihil oſtendere, tam è re non futurum erat *auctoritatis* in Republicâ *ſummæ*, ut, niſi fulminetur pœnis, eam

Hypotheſes neceſſariæ ad intellectum tituli.

in maximum oppidò contemptum atque vilipendium adduci, exploratiſſimum ſit. Prætermittam alias obſervationes, quibus *pœnarum indoles* & ad easdem *obligatio* in Philoſophorum Scholis explanatur.

II.

Delictorum differentia.

Enimverò, quod ad rem præſentem ſpectare magis videtur, delictorum ut varium genus, ita vulgare diſcrimen eſſe, quo in *publica* & *privata* dividuntur à Moraliſtis. Ex materia & objecto deſumitur iſta diſtinctio, cum Civis in civem *ut privatus*, ſed etiam in *Majeſtatem*, *Legem*, & *ea omnia*, quæ Rempublicam UT TALEM attingunt, ſuo facto delinquere poſſit. Equidem nullum in civitate delictum comittitur à privatis in privatos, cujus non aliqua relatio *ad Leges* & *τὸ publicum* adpareat: Legibus utique cavetur, ut Cives ſint *probi* omnes & *virtuoſi*, *Juris Juſtitiaq;* nullo non tempore obſervantiſſimi. Eapropter etiam privati ſceleris contagione *Legum auctoritas* afflatur, quâ protritâ atque neglectâ Reipublicæ *ſalutem* deminui, & multitudine delinquentium peſſumdari neceſſum eſt. Sed quibusdam hoc ineſt criminibus, ut *immediatâ injuriâ*, non per circuitiones & conſequentiam Civitati, *ut Civitas eſt*, immineant, neque reperiuntur niſi apud illos, qui in cœtum imperio civili obnoxium coierunt. Reliqua homines velut *umbra* ſequuntur ob inſitam peccati primævi corruptionem, vel *ab educatione & moribus* pendent, patrarique poſſunt, quocunque in Statu locoque ſcelerati verſentur. Ita *furtum*, *homicidium* &c. etiam ſinguli in ſingulos committere auſint, ſive alter in alterum incidat, aut propiori quadam ſocietate, v.g. *familiari*, copuletur. Cæterum quòd aliqua *Judicio publico* perſequi delicta licuerit, hoc eſt, quovis accuſatore, de quo *Tit. XVIII. ſeq.* ubi etiam adulteria & homicidia recenſentur; non derogat *diviſioni* datæ, quæ ex rei ipſius viſceribus deprompta paullò ſimplicior eſt, & dilucidior, quàm ut Reipubl. Romanæ placitis obſcurari poſſit, cùm in deſuetudinem abiiſſe *publicum accuſandi morem* palam videamus. Paullò aliter diſcurſum de his inſtruit Cl. Schilterus *Exercit.* XLIX. in *π.* de *priv. delict.* §.3. qui tamen ad modò dicta recidit. Intereà *privatum* crimen diſpeſcunt Interpretes in illud, quod *civili*, & illud, quod *criminali* actione petitur. *Prior* eſt, quæ ad commodum pecuniarium actori adplicandum

dum pertinet: *Poſterior*, quæ ad coërcitionem corporis vel mulctam fiſco adplicandam. Hub. *Præl.* h.t. Sibi hîc metunt ſeruntque JCti. Fortaſſe Philoſophorum aliquis haud ineptè ab ipſa *materia* diſcrimen arceſſeret, cùm alia delicta legibus offenſionem, non homini damnum in bonis afferant: v.g. *blaſphemia* &c. alia homini civique noceant, injuriâ aut *capitali*, aut quam mitioribus viis redimere liceat: quanquam, quod ex malitia dolove proficiſcitur, ad ſuſtinendam PASSIONEM pro *malo actionis* obligetur, perinde eſt, an in corpore vel mulctâ impoſita paſſio irrogetur. Viliores *corpore* & *carceribus* luunt, quod ditiores pecuniâ ſolutâ, viisque quæ honorem magis & fortunas, quàm vitam corporisque habitum concernunt. Id certum, *homini* non noceri, quin etiam *Legi*, & utrobique pœnam ſequi è veſtigio. *Actione* autem peti RES magis, quàm POENÆ debent. *Pœnarum* non obliviſcitur Judex officii gnarus, & quantum interſit Civitatis, prudenter delicta reprimi, pœnisque congruis coërceri. *Res* magis & *injuria* vindicantur à parte læsâ, ut *exæquetur* omne, quod deeſt, ex ejus Juribus. At nihil exæquatur MERA pœnæ *irrogatione*, niſi quatenus in *Pœnâ* eſt, quod ſpectet *injuriæ reparationem*, v.g. in pœna *quadrupli ex rapto*, ineſt *rei perſecutio* ablatæ Ergò litigantes judicio ſibi, quod *ſuum* eſt, reddi poſtulant, & obligationibus contractis ſatisfieri, non pœnæ mala, velut ex odio & vindictæ cupidine, deſiderant anxiè in delinquentes expediri, ſibique imputari, *ultrà* quod debetur. Illud nequaquam improbo, ad pœnam agi, ſi interſit *honoris divini & ſalutis publicæ*; carpendique ſunt mores illorum, qui, ſicubi nihil commodi præſtolantur, ne profligatiſſimis quidem ſceleribus iraſcuntur, ut ad Judicem deferant; econtrà nefandis accuſationibus conſcientiam polluunt, ſi odium concitaverit lucrique ſtudium è criminis delatione captandum. Pœnæ, uti conſtat, non is ſolum finis eſt, ut *mala malis* compenſentur, quam obligationem *offenſa pars*, nî *de ſecuritate* metuatur in poſterum, remittere poteſt & *debet* in Statu pariter *civili* ac æquatorio *Naturali*: ſed etiam ut *exemplo* vitiis ubertim ſuccreſcentibus occurratur, Legisque violatæ *auctoritas* modis juſtiſſimis vindicetur. Modus verò non obſervatur, ſi Judicis pœna *delicti quantitatem* ſuperet, & BIS animadvertatur in *Idem*, cùm pœna ſit *æſtimatio delicti*.

III.

Species delictorum privatorũ.

His prælibatis accedimus ad Imperatorem, qui τὸ συνάλλαγμα ἀκούσιον & *Civile* ex RE natum conſiderat, cùm alicujus facto alteri quid deeſt. Ad *quatuor* capita revocat ſuâ methodo h.e. parum adcuratâ: FURTUM ſc. RAPINAM, DAMNUM, atque INJURIAM. Si verba conſideres pro vulgari ſignificatu inque Moralium diſciplina recepto, prius de DAMNO agi oportuit, quod ut culpâ datur, ſic etiam INJURIA: cujus modi reperiuntur infiniti. Dum verò res ſurripiuntur, id vel clam fit, v. g. FURTO, vel apertè vi adhibitâ, v. g. RAPINA. Verùm ars Juris ſuas Ideas proſequitur ordinemque, quem Cæſareo fulgore colluſtratum nemo niſi temerarius & imprudens vellicabit.

IV.

## DE FURTO.

Furti IDEA.

Latè FURTUM *titulus* I. exponit, & §. ſtatim 1. aſſeritur occaſione definitionis, quòd NATURALI *Jure prohibitum illud admittere.* Ad *Ideam* formaliter ſpectat *contrectatio*, ut intelligas, qui negat depoſitum, furem non eſſe. Scilicet ſi delictum adpellare nequeas, cum ex regula deſit aliquid, alio & generali nomine ſalutant: e. g. *Stellionatus* &c. ferè ut qui *nomen* non habent contractus, Oceano *innominatorum* ſorbentur. Sunt Idearum nominumque ſtudioſi LL. latores. Sed quid cõtrectare? an amovere? negat *VViſſenbachius*, affirmat *Huberus*. Fur eſt, qui uſum rei intervertit domino, ſed *fraudulenter inque ſuos uſus* convertendo lucro. Ergò qui alio, fortè *bono animô*, ſubducit aliquid, non ſuâ ſed alterius gratiâ, cui ſubducitur, furtum exulabit. De neceſſitatis Jure, quâ *rem, panem, caſtrum* alienum arripimus, certâ lege reſtitutionis, alibi ad Grotium commentamur. Unde furti viator non alligatur, ſi equum refici paſtu graminis alieni patiatur. l. 2. *Feud.* tit. de *pace ten* §. ult. Fruges ex agro comedere licuit ad *ſatietatem*, pro appetentiâ, ex animi ſententiâ. Ubi Clericus, *Intelligendum*, ait, *hoc de eo, qui forte tranſit juxta vineam*, non *de eo, qui quotidie* DATA OPERA, *eò ſe conferret.* Unde *Joſephus* l. IV c. 8. ſic exprimit hanc Legem: μηδὲ ὀπώρας ἀκμαζούσης κωλύειν ἅπτεσθαι τοὺς ὁδῷ βαδίζοντας: *maturos autumnis fructus* attingere transeuntes *prohiberi non debere Deut.* XXIII. v. 24. 25. De reſtitutione agit

c. 3.

c. 3. X. de *furtis*. Ad furtum autem faciendum non ſemper opus eſt interverſione *ſubſtantiæ*, ſed etiam *uſus*, ut *uſu depoſiti*: aut *poſſeſſionis*, ſi v.g. debitor *pignus creditori datum* ſurripiat. Furti enim actione agere poteſt *Creditor*, non in alios duntaxat, ſed *ipſum debitorem* ex §. 14. Sed quo minus furtum à naturâ prohibeatur, non obſtat, *voluntate* hominum introducta fuiſſe dominia; quod quomodo verum ſit, alibi in *Grotian. d ff.* diximus: quoniam *conſilium* ex neceſſitate ortum in *Legem* convaluit, neque amplas aliûs facultates furto arrodere licet pauperi; quum, quod SUUM *juſto titulo* eſt, eripi *citra conſenſum* non debet, niſi *exceptioni* ſit locus, quæ hîc non reperitur. Unde Grotius Lib. I. c. 1. 10. rectè docet: *dominium*, inquit, *quale nunc in uſu eſt*, (non neceſſaria ſolùm, ſed & ſuperflua complectitur, arctoque Legum ſepimento munitur, ) *voluntas hominum introduxit: at eo introducto nefas mihi eſſe id arripere te invito, quod tui eſt dominii, indicat* Jus naturale. Subtile eſt, quod more ſuo notat *Cl. Thomaſius*, quòd à furto *Gentibus quibusdam* permiſſo male arguatur *ad negationem obligationis*, quærique poſſit? *annon per dominium eminens furti licentia liberari queat ab* INFAMIA, quod certum puto.

V.

Imperator §. 3. diſtinguit furtum in *manifeſtum* ſive ἐπαυτοφώρῳ deprehenſum & *clanculariam* ſive nec manifeſtum. Illud à φωρᾶ derivatur; poteſt tamen etiam, nî fallor, & accommodatius ad rem ſcribi ἐπαυτωφόρῳ quaſi αὐτῷ φόρῳ, quod in ipſa ſurreptione fur corriperetur; ſic ἀθλοφόρος, δενδροφόρος dicitur Græcis. Verum nolumus reformare *Grammaticen* Cæſaris, cùm & *Heſychius* explicet ὑπ' αὐτῇ τῇ φωρᾷ. Et ad hoc non ſufficit videre, ut velle videntur verba; manifeſtum furtum eſſe, *quamdiu rem fur tenens viſus vel deprehenſus fuerit.* Viſio enim *meticuloſi*, qui elabi patitur furem, *ſibi quidem*, non in *foro* manifeſtum efficit: Ergo non otioſam ſed deprehenſioni conjunctam intelligi putant, quæ deprehenſio, etſi manibus fit, aliis quoque mediis contingit, per *incluſionem*, *inclamationem*, *vulnerationem* &c. Diſtinctio furti *oblati*, *percepti*, *prohibiti* in deſuetudinem abiiſſe dicitur §. 4. quâ modum actionis inſtituendæ: haud verò, ſi ὡς τ ὀργάσεις conſideres, in fumos omnino abiit, Nam & hodiè res furtiva *quæritur* apud honeſtos, quanquam

Ejus diviſio.

*R 3 fiat

ſtat ſine *lance* & *licio*, de quo ritu *Alex ab Alex*. l. 6. ſpeciemque dat *ſuſpicionis*, negare, quod invenitur. Et annon *injuria* eſt, ſi mihi ignoranti res furtiva afferretur, hâc fini, ut apud me, non auctorem inveniatur?

VI.

Pœna furti Compenſatio multiplex. An etiam teſtis.

POENA quadrupli furto dictatur §. 4. ſi *manifeſtum*; duplici, ſi *non manifeſtum* ſit. Aliter ſenſerunt Leges Hebræorum *Ex*. XXII. 1. 2. 5. 7. &c. qui ab *objecti pretio* & *malitia* compenſationis arceſſunt multiplicationem. PRETIO quidem, quo v. g. *bos ove* præſtat, non mole duntaxat corporis, ſed *utilitate ad colendum* agros: Videndus *Clericus* l. c. MALITIA, quæ ex deſtructione lucrique perceptione per interverſionem celerem agnoſcebatur. Sic *rem inventam* fur mitius luebat, quàm interverſam atque individuo non recuperabilem. Fortè hoc etiam inde erat, quod recepta *re propria* dominus acquieſcere omnino, & tanti injuriam furto illatam habere non poterat, quàm ſi rem quovis pretio abs ſe æſtimatam recuperare non dabatur. Lex propterea Judaicis acerbior viguit Athenis. De qua Demoſtenes *Orat*. contra *Timoc*. Ὅτι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ τὴν διπλασίαν καταδικάζειν: ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν πρὸς τοῖς ἐναντίοις: *quod quis amiſerit, ſi hoc* idem *receperit*, duplo *furem damnari*: *& niſi hoc receperit, eos qui furti erant* CONSCII DECUPLO. Id ſingulare, *nihil fiſco*, qualis non dabatur, ſi rectè conjicio, apud Hebræos ante-Babylonios: nihil etiam Sanctuario fuiſſe adplicatum ex *multâ* furibus irrogatâ. In LL. Civilibus actio furti in duplum & quadruplum merè eſt *pœnalis*, penes quam aliæ dantur beneficio Domini ἐκ συναλλάγματος ceſſuræ, rei *vindicatio*, & *condictio furtiva*, tranſitura in heredes ad ſolidum, quod intereſt, non corpus ſolùm ſuperſtes repetendum. Utraque *naturalis* ex dominii indole actio eſt, & ex regula, *ne quis ſua malitia & alterius cum damno fiat locupletior*: Ut mirum ſit hîc diſputare Cujacium, qui exiſtimat, abſonam hanc ſententiam l. 9. π de condict. furt. unicè niti; *eaque ſi abeſſet, omnibus placiturum fuiſſe*, NON DARI. Quod an verum ſit, diſquirant JCti. Ego cenſeo rationem *Cujacii* palmariam incumbere in ſpongiam, dum arguit *de pœnis*: neque enim *obligatio pœnæ*, ut talis, ſed EXPLETIONIS tranſit ad heredes. Equidem in heredes innocentes non *ex furti* agitur, ſed

*occa-*

*occaſione* furti: labes enim bonis perceptis adhæret, ut ſit in illis, quod ſpectet ad dominum perſequentem REM SUAM, vel, illius defectu, TANTUNDEM. Num verò pœnam *compenſationis* in *ſupplicium* convertere licitum fuerit, alibi forte opportunius quæreretur. Lege divinâ *reſtim* furibus haud dictatam eſſe, conſtat: eamque clementiam ſequitur Imperator, qualem Athenienſes juſſu *Solonis*, poſt ſanguinea ſtatuta *Draconis*, memorante *Gellio* l. XI. 18. Idem liberos per lucem furatos Romæ læſis dominis *addictos verberibusque cæſos*; *ſervos de ſaxo præcipitatos*, aſſerit. Enimverò non tenentur Civitates eam Legum DEI forenſium formulam ſequi, quarum alibi *ratio* ceſſat. (α) quia ſunt πολιτικαὶ, *forenſes, poſitivæ, ad* Reipubl. genium *adcommodatæ*. (β) facillimè poterant amiſſa recuperari per *capita* familiarum, per *venditionem* debitoris, aliisque modis. (γ) *Infrequentius* peccabatur furto inter Hebræos: ſed creſcentibus delictis & Rempublicam turbantibus, quis acriores pœnas ingeminari poſſe neget? Neque *ob rem* pretio leviori ſæpius conſtantem gula frangitur, ſed ob *diſciplinam* Civitatis, & illius *tranquillitatem* conſervandam. Abſit tamen ut improbemus Imperatoris ſententiam *Nov.* 134. c. 13. de *moderatione pœnarum*, ubi inter alias. *Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abſcindi, aut MORI, ſed aliter eum caſtigari.* Ibidem verò diſtinguitur inter furem *occultum* ſine armis & *violentum*. Quali v. g. *perfoſſori* (Effractorem Rom. vocant) mors dictabatur *Athenis*. Ἐάν τις φανερὸς γένηται τοιχωρυχῶν, τούτου θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. *Si quis manifeſtus ſit vecticularius, morte pœnas luito S. Petitus* ad tit. V. l. 7. Originem capitalis ſupplicii furibus irrogati, poſt illa *Draconis* ad *Francos* refert Schilterus *Exer.* XLIX. § 6. Apud quem videre eſt, ut apud *Alemannos* & *Saxones*, diſtinctio inter nocturnum & diurnum furem, & qui pœnarum modi valuerint.

VII.

Cæterùm in propatulo eſt, ut cauſæ *morales* non impari peccato ſe induunt, quàm *Phyſicè* influentes: ita furtum committit, qui ejus præbet occaſionem: Quod tamen, qui *non contrectavit*, quamvis fur non ſit, utut actione furti teneatur, ſponte cognoſcitur à Legibus pendere Civilibus, & Ideâ definitionis. Exempla videſis §. 11. h. t. ubi *conſilium*, efficax cauſa moralis, eximitur *obligatione furti*. Obſervata circa naturam furti.

ri. Id mage παράδοξον, quòd in libero homine, atque re propria furtum committi queat. §. 9. & 10. ILLUD explicari debet *de effectu Patriæ Poteſtatis*, quatenus intererat illius commodorum, filium *plagio* ſurreptum non fuiſſe, nec actio furti dabatur aliis quàm Patri. HOC ex *Jure* reſolutionem habet, quod alteri *in re noſtra* quæſitum eſt. De furto impuberis agit §. 18. Et valdè φιλοσοφικῶς ratiocinatur Imperator. Jungi debet c. *pueris* 1. & c. *referente* 2. X. de *delictis pueror.* ubi egregiè commentatur *Gonzalez* docetque, quâ ætate *doli grandiuſculus* puer capax eſſe, & quibus in delictis puniri queat. Certè *animum peccandi* adeſſe oportet, non tantum propterea, quod ſine mente actus imputabiles non dentur, ſed etiam ex furti naturâ, quæ contrectatione *lucri faciendi gratia* perficitur. At quis *interiora* ſemper expiſcetur? Circumſtantiæ furandi animum docent, quibus deficientibus *nemo cogitationis pœnam luit.* Legi meretur Gellius l. c. de *Sabini* JCti ſententiâ, quâ, qui *animo lucri faciundi alienum jacens attrectaverit, ſciens cujus ſit, ſive neſciens,* furti alligatur.

VIII.

Ejus aliæ Species.

Húc referri debent delicta de *tigno juncto*, de *arboribus furtim cæſis*, & illa, quæ EXTRAORDINARIA vocantur, h. e. quæ pœnam Legibus definitam non habent. Schilt. *Exerc.* cit. §. 37. Ad hanc claſſem pertinent Abigei, quales judicantur eſſe, non qui errantem à grege bovem vel equum intercipiunt, ſed qui *ex paſcuis* armenta ſubtrahunt, & abigendi dexteritatem *velut artem* exercent. Quæ omnia tamen Judicum arbitrio Moſes permiſit; neque inter *fures* & *abigeos* diſtinxit. *Exod.* XXII. cùm ex *habitu* magis & *calliditate*, quàm ob aliam rem differre videantur. *Concuſſor*, quid aliud, quàm fur eſt? quid *Receptator*? quod probè intelligunt Moralium gnari. Fruſtra hic methodicam requiras digeſtionem in Legg. Fures *balnei* non invitâ juſtitiâ gravius quàm alii puniti ſunt apud Romanos, quòd *cura valetudinis*, hominumque *inermium ſecuritati* conſulendum erat. Subnecto tit. 11.

IX.

## DE VI BONORUM RAPTORUM.

Quid rapina? ſeu Roberia.

Quâ VI *furtum* à *rapina* differt. Ubi notandum: α Raptorem ſemper *triplo*, exceptis duobus caſibus, puniri, quod Civile. (β) fur *deprehen-*

*prehenſus quadruplo:* Cur hoc? cur gravius raptore? Ea res, ait Huberus h.l. hanc habet rationem, *quòd paterfamiliâs, qui furem deprehendit, IN HONOREM vigilantiæ & ſtrenuitatis largius eſt habendus.* Aliâs certum eſt, gravius in Societatem delinquere raptorem, quàm furem, quicquid rhetoricetur Ariſtoteles, qui contrarium ἐξ ὑπερβολῆς ſtatuere videtur Rhet. ad Al. c 12. (γ) Requiritur cupido lucri. Ergo, qui rem reverâ aut κατὰ δόκησιν ſuam rapit violenter, raptor tamen non eſt. Punitur verò Civis, quòd *ſibi jus* dixerit, turbas dederit, tribunal non implorârit. Nec illo caſu valebit, cum argumentis in *petitorio* ſe pervincere poſſe creditor deſperat, ut vellet Grotius. De *hoc tit.* ἐπινεμεσιν lege Schilt. *Ex. cit.* §. 23. Non omittam Cujacii *Obſervat.* 31. lib. XV. *Eſt*, inquit, *quædam differentia inter* expilatorem & *furem*: nam *expilator fur atrocior & improbior eſt: idem etiam dicitur eſſe* raptor. *Sed & hic nonnihil ab expilatore diſtat, nam expilatores ſpecialiter dicuntur, qui obvium quemq; noctu corripiunt & exuunt veſtimento.*

X.

## DE LEGE AQUILIA

Agit tit. III. quam prolixè Cæſar exequitur. Ut verborum compendium faciam, OBSERVO I. quòd damnum INJURIA DATUM ſit *cauſa formalis* inſtituendæ ex hâc Lege Actionis: Injuria *culpam etiam leviſſimam* non excludit, §. 3. Ergò hûc non pertinet actio SI QUADRUPES *pauperiem fecerit*; hoc enim caſu beſtia præter ingenitam generis conſuetudinem peccat illatione damni. Ubi præter fuſas *Struvii, Hahnii* aliorumque commentationes τὰ πρὸς φιλοσοφίαν breviſſimis annoto. (α) motum beſtiæ requiri non *naturalem*, ut comeſtio *ex fame*, vel *generi ſpeciatim* congruam, ut, ſi *ferum* & mordax ſit animal, v. g. *Leo, urſus* &c. dilaniet obvios. ILLO modo datur actio de *paſtu*, ſi *ſine culpa* domini contigerit, vel *ſubſidiaria in factum*, vel ad *exhibendum*, vel etiam *criminalis* diverſo reſpectu. Struv. *Exerc.* XIV. §. 3. HOC: ſi verſentur in *libertate naturali*, quis accuſet? Si *cicurata* ſint, *abolitâ quaſi* feritate, ut manſuetis adnumerari queant, utilis datur actio. Struv. l. *cit* §. 9. (γ) Corpus DEDITUR animalis noxii, aut ÆSTIMATIO penditur. PRIORIS ratio eſt, quam dedit Cl. Schilterus. *Exercit.* XIX in π §. 2. *de damnorum perſecutione*, *Cùm*, inquit, *nec diligens Paterfamilias iſthæc*

Ἐξήγησις tit. ſi quadrupes IX.

 damna

(damna beſtiarum altilium) *ſemper præcavere poſſit: hoc tamen cavere tenetur, ne, poſtquam comperit beſtiam ſuam alteri damnum intuliſſe, velit habere amplius nocivum animal, eoq; uti, aut commodum inde quærere, manente iſta per beſtiam facta inæqualitate & læſione.* Ergò cùm grano ſalis accipiendum illud Grotii. l. II. c. 17. §. *penult.* qui *noxæ dedi animal pauperiem faciens* ait, *merè civile eſſe:* Addit; *nam dominus, qui in culpâ non eſt, ad NIHIL tenetur.* Aliter ſenſit Solon, de quo *Plutarchus* in ejus vitâ. Ἔγραψε δὲ, inquit, καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον. Τὸ μὲν ἐνθύμημα χαρίεν πρὸς ἀσφάλειαν. *Scripſit & de pauperie quadrupedum Legem, in qua canem quoq;, qui nocuerit, dedi jubet bojâ,* ſeu collari vinculo ligneo ferreove *quatuor cubitorum alligatum. Quod quidem inventum ſcitum eſt ad ſecuritatem.* Veteres Germani æſtimationem *ſimpliciter* pendebant, referente Schiltero §. 8. l. c. quod durius haud dubiè viſum Romanis, optionem dedere *Legg.* XII. tabb. SI QUADRUPES PAUPERIEM FAXIT, DOMINUS NOXIÆ ÆSTIMIAM OFFERTO: SI NOLET, QUOD NOXIT, DATO. POSTERIUS verò de æſtimio monitum valebat etiam de *libero homine* cujus pretium legibus definitum erat, WERGELDUM, legibus Germanorum, Schilt. l. c. §. 15. *ſeq.* Propriè *liberum corpus non æſtimatur,* quod vivus libertatem æſtimet *quanti vult,* nec invito PRO OMNI PRETIO poteſt nec debet eripi: & mortui ex æquitate tanta eſt dignitas, ne vita ejus peſſumdata poſt fata pretio taxetur, *cùm nemo niſi MORIENS taxare potuerit.* Quæ ratio eſt in hiſce diſputationibus *fundamentalis.* Eſto igitur heredem experiri judicio non valere ob liberum hominem occiſum, ut velle videtur Struvius diſſentiente *Brunnemanno* h. t. nihil tamen obſtat, quominus heres rependi ſibi urgeat damnum ex *cæde mortui profectum.* (γ) Scrupulum mihi movet id, quod Servius ſcribit l. 1. §. 4. π *ſi quadrupes. Tunc,* ait, *hæc actio locum habet, cum commota feritate nocuit quadrupes: Puta, ſi equus CALCITROSUS calce percuſſerit, aut bos cornu petere SOLITUS, petierit; aut mula propter nimiam ferociam.* An *hac ignorante* domino? RECTE! *Si ſciente?* non capio ἀναλογίαν Juris: *dolus* enim adeſt, ſaltim *culpa* ejus, qui equum *petulcum,* bovemque ſine Vulcano *in cornu* nutrierit. Morte ple-

ctebatur

ctebatur dominus Jure divino *Exod. XXI. 29.* ad quæ Cl. Clericus ſic commentatur : *Æquiſſimâ Lege* ita cautum erat : *quia neglexit dominus cavere alterius vita,quæ unicuique poſt ſuam curæ eſſe debet,* ὡς αἴτιος τῷ ὑπὸ βοὸς ἀνῃρημένῳ γεγενημένος, *ut cauſa homicidii à bove commiſſi,* ait Joſephus. Attamen Philo & recentiores Magiſtri REDEMPTIONEM hoc in caſu licitam fuiſſe ajunt. Ὁ δὲ κύριος, inquit ille, p. 617. περιαναιρείσθω, ἢ λύτρα καὶ σῶστρα καταπτέσθω. Τὸ δὲ δικαστήριον, ὅτι χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι διαγνώσεται. *Dominus verò è vivis tollatur, aut redemptionis vel liberationis pretium deponat : Magiſtratus autem, quid eum pati aut ſolvere oporteat, cognoſcat.* Idem ſenſit Lex *XII. tabb.* quod Servius, qui verba illius transſcripſit, ut colligimus ex Inſtit. pr. *ſi quadr. paup.* quem titulum hûc relatum volumus.

XI.

Ex his omnibus diſpaleſcit, quòd, qui damnum dedit ſine culpâ, Lege Aquiliâ non teneatur. (α) NON moderamen inculpatæ tutelæ, quod probatione non eget; ſecus erit, ſi *fugere* poterat invaſus, & cædi *non neceſſaria* cauſam dedit. (β) Neque caſus §. 4. & 5. h t. memorati, de *milite* & *putatore.* (γ Culpam *leviſſimam* quoque non excuſari, utut veniam mereatur ob majorem à dolo diſtantiam : neque enim agitur heîc loci de *malitiâ*, ſed refuſione damni, quod à noſtrâ qualicunque incuriâ profectum, compenſari debet. *Imperitiâ* Medici atrocius peccatur, quàm ut cum cadavere ſepultum crimen arbitremur : Peccant tamen etiam illi, qui fungos & betas pro Medicis declarant, veluti patrandis homicidiis auctoratos. In his omnibus tamen DOLUS eminet, qui ad expletionem non ſolum violati Juris ex MALEFICIO, ſed pœnam quoque ſe obſtringit ex MALITIA. Confer *Donellum* JCtum meliori fato digniſſimum. Comm. *de Jure Civil.* l. XV. c. 23. & 26. qui doli naturalia & exinde competentes actiones deſcribit luculenter, c. 40. Sciendum autem eſt, damnum dari poſſe re ſalvâ *manente & integrâ.* Extant in his duo genera : *aut* enim aliquid fit in re alienâ, quò ea ipſa res abeat à domino, quamtumvis integra : ut ſi quis *annulum alienum excuſſerit de manibus domini & is deciderit in mare.* *Aut* fit alibi aliquid, unde alius in damnum incidit rei familiaris v. g. *cùm Judex male judicavit.* PRIUS delictum apertè quidem non ſpectat ad Conſectaria.

 *L. Aquil.*

*L. Aquiliam*, quâ cavetur de eo damno, cum res *occiditur, aut corrumpitur* Sed facilè intellectu eſt, & hoc ex ſententiâ Legis eſſe, ut vindicetur. Quid enim refert, quo modo res ſua amittitur domino, *corruptane* an *integra* ? Quod cum intelligerent Prætores, quod deerat Legi Aquiliæ, *ſuppleruns*. in eamque rem propoſuerunt *actionem in factum* accommodatam ad ſententiam L. Aquiliæ. POSTERIUS infinities variabile ad actionum claſſes refertur, prout Legislatori viſum. Hæc ex *Donello* c.27. & verbis ultimis §. 17. h. t.

XII.

Perſecutio τȣ Intereſſe.

OBSERVO II. Ex hac Lege Aquiliâ læſum perſequi rem ſuam cum omni commodo, ſic quidem, ut ſæpe plus reparandum ſit, quàm lædens acceperit: §. 10. Par eſt ita fieri, cum in *bonis noſtris* non ea ſolum verſentur, quæ impræſens *utilitati* cedunt, ſed etiam, quæ *fructuum ubertate* impoſterum cedere poſſunt, utcunque per damni illationem ſufflaminatâ. Enimverò L. Aquiliæ tertio capitulo ſancitur, ut SI QUIS ALTERI DAMNUM FAXIT, QUOD USSERIT, FREGERIT, RUPERIT INJURIA, quanti ea res IN DIEBUS XXX. PROXIMIS, TANTI ÆS *domino dare damnas ſit*; Sed aliter viſum Cæſari §. *cit.* & alibi. Saltim id quod intereſt, ne *nimis longè* petatur *certumque* ſit, æquitas jubet: at *certum geminato* pretio, nec ultrà tenacius acuendo compenſatur. Sic *Theodoricus* ſanxit *Edicti* c 1;2. ut pro *uno ſervo occiſo bini* recipiantur. Quid *Burgundiones*, *Saxones*, *Alemanni* ſanxerint, fuſius exequitur Schilt. *Exercit.* in π. XIX. th. 53. ſeq. Idem obſervat §. 58. quòd ad pœnam libello agi queat hactenus, donec Juramento *dolus à culpa* ſeparetur. *Emendam* verò petere *ſeu pœnam* generoſi Saxones noluerunt ſuffocandis litibus, & ad firmandam amicitiam: *Eodem teſte* §. 61. *Virtuti* utique conſentaneum eſt, *injuriarum* oblivisci, obtentis iis, quæ in damni computum veniebant. Reliqua Judicis arbitrio permittuntur, an & quatenus puniri malitiam è re fore Civitatis arbitretur, v. g. *inficiationem*, quæ duplum erat *Lege Salica* Francorum. EXEMPLA de *illiſione navium* duarum, *domo vicinâ metu incendii* deſtructâ, &c. breviter reſolvit Huberus h. l. nec iſtis, quod leviora ſint, immoramur.

XIII. OB-

XIII.

OBSERVO III. Concurrere Legem *Aquiliam* cum *Corneliâ* §. 11. ſed ſine impedimento. *Aquilius* enim conſiderat ſervum, ut eſt in bonis; *Cornelius* ut homo eſt, cujus ſanguinem vindicari oportet. Qui hominem occiderit, punitur, non habitâ differentiâ, cujus conditionis hominem interemit, ait l. 1. §. 2. ad L. *Corn. de Si.* *Pœna* igitur, quod pertineat ad παράδειγμα Civitati exhibendum ſupplicio, *reparatio damni* ad expletionem Juris privati, optimè tanquam diverſa cumulantur in eodem delicto. Non obſtante l. 4. π. *de pub. Judiciis*. Fit enim præjudicium Lege *Aquilia Legi Corneliæ*, non ad extirpationem pœnæ, ſed ob defectum *liquidæ probationis* in facto. Concurſus L. Aquiliæ & Corn.

XIV.

Succedit ex *privatis* delictis QVARTUM in titulo IV.

## DE INJURIA,

quam ſic explicat Imperator, ut ad *L. Aquiliam* duntaxat illa, quæ ex CULPA patrantur, referre videatur; quod valde miror; quî enim differt hoc delictum à quaſi delicto vid. Cl. *Vitriarium* h. t. Nihilominus cùm interpretes conſulo, non de quavis *malitiâ*, OPERE aut FACTIS in alium exercitâ, ſed illâ exponi cerno, quæ ad violationem EXISTIMATIONIS tanquam CONTUMELIA pertinet. Atqui damnum *doloſè* poterit inferri, ſic tamen ut exiſtimatio, ſaltim civilis illa, nihil detrimenti accipiat, nec *injuriandi animus* adſit, ut in *fure nocturno*. Equidem in quolibet delicto, quod *ex malitia* proficiſcitur læditque alterum etiam *in bonis*, adparet ἀδικία aliqua non in materia duntaxat, quà eſt violatio *alieni Juris*, ſed etiam ut eſt formaliter *contaminatio honoris*: contemnitur enim *tacitè*, quem lædere nocens parvi duxerit. Quod de ἀνομία in ordine *ad Legem* adeò certum eſt, ut Jus Majeſtatis in pœna nitatur etiam *reparatione honoris*. Verum in oculos talia non incurrunt, Judicis præſertim, cui minima non ſunt curæ. De *Exiſtimatione*, objecto injuriæ, nemo, quantum memini, nervoſius ſcripſit Ill. *Pufendorfio* l. VIII. c. 4. ad quem Lectores remitto, ut & ad *Grotium* l. III. c. XI. §. ;. ubi diſcrimen inter ἀτύχημα & ἀδίκημα ἢ ἁμάρτημα explanat. Injuriæ notio.

XV.

OBSERVANDA I. Injuriæ DIVISIO, quâ contumeliæ illatio- Diviſio.

 nem

nem dolo malo ſignificat, quæ aut verbalis eſt aut realis, v.g. fuſte & convitio. §. 1. Ubi Cæſar meminit (α) carminis famoſi, cujus requiſita notantur paſſim à JCtis. Saltim ſubſcriptio non pertinet ad ejus Ideam, ſed probationem Auctoris, docente *Vitriario* h.t. §. 28. ſeq. (β) REALIS injuria fieri poteſt ſine manus illatione, ſubtractâ utilitate, impedito rei ſuæ uſu &c. ut, *poſſeſſione rei tanquam ex debito.* (γ) Verba nocent exiſtimationi, in os ingeſta, vel contorta in abſentem: putant tamen maledicta differre à convitiis, quod hæc in concurſu (quaſi in *convocione*) illa privatim jactentur. Utique atrocius ἀδικεῖ, qui diſſeminat improbè dicta, famamque inter plures polluit. Verbis autem ſæpe ex opinione duntaxat turpitudo ineſt & infamiæ labes, non ex re ipsâ. v. g. *Mentiris*, improbum dictu eſt Germanis; Secus, ſi ſenſum eundem ſermone mollias aſſerendo: *invita quid veritate alterum proferre*: Nego falſam majorem, minorem, in diſputationibus. Huc refer Satyricos geſtus, actiones opprobrio cedentes, etiam ſilentium. *Joci mordaces* non omni carent injuriâ Haud dubiè conviciari ſibi Principes poſſunt, ut ſinguli in St. N. horum adeò ſnacta eſſe perſona debet, ut ne vera quidem in eos diſſerantur. Quod tamen ineptè probant ex II. *Pet.* II. 11. & *Juda* v. 9. Quaſi, quòd Diabolus *princeps* ſit, Michaël nihil acerbius, quantumvis *ex vero*, proloqui voluerit.

XVI.

Pœnæ modus. OBSERVO II. Vindicari honoris *violationem* pœnis à Judice definitis ex *Jure honorario*, cum XXV. *ſeſtertiorum* pœna ex LL. XII. *tabb* jam olim diſplicuerit. Nota (α) Intereſſe & *læſi* & *Civitatis*, ut injuriæ utriusque generis puniantur: LÆSI quidem, ut HONOR & quod *abeſt* per *realem* injuriam reſtituatur, geminata hîc querimoniæ causâ ut rei perſecutione & *honor* & *damnum* valetudinis bonorumque obtineatur, ubi viget *damni æſtimium*. Prætor autem *verbalibus*, Cornelia Lex *realibus* & quidem *gravioribus* injuriis cavit: ex utroque datur Actio; & ex hac quidem L. Corn. publicum judicium petitur auctore *Sylla*, conf. Schilt. *Exercit.* in π 69. §. 27. *Honor* ut dignatio eſt, reſtitui amat παλινῳδίᾳ & *retorſione*. *Illa* acerba eſt in foro magnique penditur, utut ignorata LL. Romanis: Hæc an Chriſtianis moribus conveniat, dubitatur. Auſim negare! CIVITATIS etiam intereſt membra Reipublicæ litibus & odiis non excruciari

invi-

invicem, aut *mutuo* facinore, quod palmarium inter homines creditur, *exiſtimatio* atque *honor*, violetur. Equidem injuriam facientis *deprecatione*, ſi publicè non interſit læſi, *&* *fato* lis extinguitur & *remiſſione* ejus, *tacita* vel *expreſſa*, qui injuriam paſſus eſt. Optimum verò ſapientibus, cogitare cum Socrate; *quid ſi aſinus calce me petiiſſet?* Quid *exiſtimatio externa* eſt? Opinio. Quid honoris vera dignitas? *Virtus.* Audi Poëtam:

Ipſa quidem virtus PRETIUM ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec *faſcibus ullis*
Erigitur, *plauſuque* petit clareſcere vulgi,
Nil opis *externa* cupiens, nihil *indiga laudis.*

Enimverò *reparari* honorem neceſſe eſt, ſi DEI interſit, *Reipublicæ,* & *commodorum* inde fluentium. Sic minimè vanum nomen eſt, ut Stoici nugantur, ſed *dos* præcipua præſtantium virorum. Hinc ſpargere *infames literas*, imò prælegere capital eſt. *l. unic.* C. *de fam. lib.* Atrox facinus *ſervili loro* vapulare. vid. *Briſſon. Selectl. Antiq.* l.3. c.9. (β) Injuriæ *Reali* ſuccurrebat olim *partis* non arbitraria petentis aut Judicis ſed Legis *æſtimatio.* Talio erat ex LL. XII. *tabb.* uti etiam Moſaicis. *Ex.* XXI. verſ. 23. & *Deut* XIX. 21. Riſui exponit priorum verba, SI. MEMBRUM. RUPIT. NI. CUM. EO. PACIT. TALIO. ESTO. Favorinus Scepticus apud *Agellium* Noct. Att. l. XX. c. 1. neque ſine causâ, ſi κατὰ ῥητὸν debeant explicari, ut fatetur ibidem *Cæcilius Favorini* colloquutor. Talionem autem PAREM *vindictam* (Geometricè puta diſpenſandam) κατὰ τὸν βαθμὸν τοῦ ἀξιώματος *ex gradu dignitatis* eſſe putat cum aliis *Wiſſembachius.* Divinas Leges *Cl. Clericus* παροιμιώδη eſſe, nihilque aliud ſignificare ſtatuit, quàm pro gravitate criminis exigendas eſſe pœnas: adducto *Jonathane* & *Thargum* Hieroſol. qui de pretio *dentis, oculi &c.* explicant. *Joſephus* exiſtimat, ſi læſus voluiſſet, eruendum oculum reverâ pro oculo fuiſſe. Certè in Rebuspublicis iſta non valent, cùm perſonæ differant *dignatione, ætate, cenſu*, ut nihil ſtultius, quàm *talionem* comminiſci. Unde quid ſingulare habet Lex ſine modio ſalis intellecta, quam *Laertius* Athenis viguiſſe affirmat in vitâ Solonis ſegm. 57. Ἐὰν μὲν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις, ἀντεκκόπτειν τοὺς δύο: *ut uno effoſſo oculo, duo effodiantur.* Quod nimis iniquitate laborare hûc reſpiciens arguit Ariſtoteles lib. Rhet. 1. c. 7. Meliora ſen-

ra ſenſit Leo. *Nov.* 92. & ille ſervulus *Antonini*, qui effoſſi oculi pretium rogatus, ſiluit, innuens *jacturam* luminis *æſtimari* non poſſe. Conf. *Menagius* h. l. Exiſtimationi etiam conſulitur ex L. *diffamari* C. *de ing. manum.* impoſito convitiatori ſilentio, quod inefficacius videtur, quàm ut ſpinæ ſcrupuloſis ſuæ dignitatis æſtimatoribus evellantur. Schilter. *Exerc. XLIX.* §. 32. (γ) Etiam accipitur injuria per tertiam perſonam, *Conjugis* puta, *filii*, *ſervi*, *nurûs*, ſic quidem ut ſingulis actio competat. §. 2 & 3. Cur hoc? quoniam non per alterius ſolùm latus, ſed in ſe ipſis quoque violationem paſſi ſunt ob connexionem. *Servulo* impactam injuriam ſibi non attrahunt domini, niſi in ipſorum *odium* id eveniſſe conſtet. Delicatius iſta in *Jure Legatorum* tractantur, tractarique debent.

XVII.

**Actiones de Inj. quomodo finiuntur?**

OBSERVO III. Actiones, quæ ad *reparationem* & *pœnam*, ceu dictum, diriguntur, variis modis finiri ſolent. Et quidem præter jam memorata (α) *Diſſimulatione*, qualis in Saule laudatur 1. *Sam.* X. 27. (β) Ἀμνηστίᾳ, cujus declaratio ſæpiſſimè facit ad ſopiendam *rebellionem.* (γ) *Tranſactione*, quæ, ſi infamiâ laborat in civilibus, excuſatur à naturâ, *cæteris tamen paribus.* (δ) *Lapſu* temporis, *anno*, quali prætoriæ actiones finiuntur. Addam (ε) è Theologiâ *SS. Synaxin.* Matthæi V. 23. Gravem B. Huberus quæſtionem vocat, *an uſu divini convivii* perſecutio injuriarum aboleatur? *Etenim*, inquit, *ſi convivatio & ſympoſium intrà privatos parietes hunc habet effectum, quis eum negare auſit epulo ſanctiſſimo, quod proprio fine conteſtandæ ſingularis amicitiæ inter fratres à Chriſto Domino inſtitutum eſt?* Ajunt tamen 1. ad *exceptionem* Rei hoc non valere. 2. Non negari poſſe actionem à Judice, quamvis *conſcientia polluatur* agentis 3. Oratione Dominicâ & συνάξει non aboleri omnem in judicio litem, ergò nec *injuriarum*, modò ſpiritu *manſueto* & *Charitatis pleniſſimo* cuncta peragantur. Ego arbitror (α) ſummam Charitatem & perſecutionem ἀδικίας, ut eſt violatio honoris, ſimul conſiſtere non poſſe: rem verò *ſuam repetere* Chriſtianum eſt, procul ſi fiat à labe πλεονεξίας. (β) Vindictæ cupidinem & Juris ἐκ προφάσεως perſecutionem *ſubtiliſſimis vinculis*, cohærere. *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.* (γ) Magni ponderis eſſe certis caſibus *honorem*: iſque ſalvâ conſcientiâ vindicatur, ut in *bonis* eſt, non ut

exiſti-

exiſtimatio vana & titillatio carnis. Sed à periculoſis, utut *probabilia ſint ſpeculativè*, ( utor vocabulo Scholaſticorum ) anxiè ſemper abſtinendum eſt.

## *Ad Lib. IV. Inſtit. Tit. V.*

# DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ QUASI EX DELICTO NASCUNTUR.

I.

ALiquid hîc video, quod cum Philoſophiâ conciliare vix poſſum. 1. Quomodo differt delictum ex damno *Legis Aquiliæ*, (quod magnam partem, ut *injuria*, τῇ ἀδικίᾳ puta *malitioſa*, quidē opponitur, à culpâ dicitur abſolvi,) à quaſi-delicto? 2 Quæſo, ut civile *delictum* eſt, quod *mera culpa*, continetur? *Affinitatem* delicti vocat Huberus noſter carpitque Cl. Thomaſium, quòd delictum ex L. Aquiliâ, inter *quaſi-delicta* retulerit. Huic tamen gloria debetur judicii Philoſophici, quicquid hîc ſit de arte juris. 3. Si *in culpa SOLA non* conſiſtit quaſi-delictum, ſcire velim, quid culpa & QUALITAS MALI MORIS inter ſe differant? *Negligentia* hoc ipſum eſt, *incuria*, *oſcitantia*, habitus ſit vel actus: idque culpa eſt manifeſtè. Sed non urgebo Præceptorem: Sit Pax eruditis Manibus! Culpa tamen diverſimodè conſiderari poteſt, cùm quatenus GRADU differt, tùm quà *Origine* GRADUS triplici ordine diſpeſcunt: ſed & hi in ſuos iterum gradus ſecarentur, *ſi minutias* curaret Prætor. Variant omninò *perſonis*, *temporibus*, *moribus* gentis, quid negligens, quid curioſum vocari mereatur. De ORIGINE ſanxerunt Philoſophiæ Magiſtri, quod ad *remotiorem* modò cauſam, modò *proximam*; iterum magis ad intellectum, quàm voluntatem, & viciſſim, CULPA referenda ſit. Sic alia committitur ex *ignorantia*, iterumque, quam vocant, vincibili *formaliter* aut *in cauſa*: alia magis ex Voluntate, ſed impeditâ per *pravos habitus*, *malam educationem*: quæ delibaſſe ſufficiat! Natura quaſi delicti.

II.

Tranſeamus ad IV. Species quaſi-delicti, quorum I. PRIMUM eſt, SI JUDEX LITEM SUAM FECERIT: pr. h. t. peccare dici- I. Species.

tur per *imprudentiam*, & illâ pœnam ſuſtinere. Si ſuam fecerit *dolo* & *imperitia*, (quippe conſcius illius amoliri oblatum munus nec ambire poterat, quod dolo æquipollet,) manifeſtè delinquit: de quo hîc non eſt quæſtio. CULPA innuitur, non exploratâ ſatis & *facti* & *juris* conſpiratione: lubricum quippe eſt, *actis & probatis* in negotio difficili ſic attendere, ne quid elabatur. Fallor autem, nî Cl. *Thomaſio* de veritatis prærogativâ hic concedere debeat noſter *Huberus*. Ille *teneri Judicem*, ait, actione utili ex L. Aquiliâ, *quæ & in factum dicitur*, (quæ tamen diſtinguit Friſius Anteceſſor illo *titulo*, præl. §. 7.) nec alio modo, quàm tutorem, arg §. 6. J. *de ſuſp. tut.* Quanquam neque hoc ſit de nihilo, quod oggeritur, Judicem *publicè* peccare & minus Medico, qui *privatim*: item Actionis ex L. Aquiliâ formale objectum eſſe, *damnum in corpus*. Sed *ad hoc* ipſe ſibi poterat reſpondere Auctor. *præl. l. cit.*

III.

Ilda: ubi Oeconomia pœnarum ſtrictim explicatur.

II. Quaſi-delictum eſt DEJECTIO, EFFUSIO, §. 1. Ex cœnaculo ab inhabitante, conductore ſeu domino effuſum dejectumque explicant. Non moror *cubiculi* à *cœnaculo* diſcrimen, nec controverſiam, an Studioſus *habitet?* Noto, quod rem attinet (α) Teneri patremfamiliâs ex *ſuorum hominum* delicto, quia melius ſibi non proſpexerat; quod durius foret, niſi ad *verum delinquentem* daretur regreſſus. (β) Damnum illatum rependitur, quæriturque actione, etiam ſi in corpus liberum peccetur: unde ſolvitur *merces* medici, *operæq;* per valetudinem amiſſæ. Poſſunt tamen & *vulnera* & *cicatrices*, quicquid civilium legum auctoritas de *libertate liberoque* corpore definiverit, ab illo, qui læditur, æſtimari: conf. dicta *tit. ſup.* §. 10. (γ) Si *unus* pro omnibus ſolverit, reliqui liberantur: ratio eſt, quoniam Jure læſi expleto nihil relinquitur, quod à nocentibus poſtulari queat. Secus utique ſentiendum, ſi *ex pœna* agitur, cujus formale PASSIO (etiam in *mulctis pecuniariis*, operis publicis &c. *quà talis* ſpectanda) neminem non affligit, qui *phyſice* aut *moraliter* ad productionem delicti notabilem operam contulit: Hæcque à Judice inflicta, licet in *privato crimine*, Rempublicam reſpicit *exemplo* muniendam & *terriculamento*. MATERIA pœnæ in LL. pro *commodo* venit ſæpiſſimè, quod læſo vel ærario adplicatur. *Illi* quidem, ut recipiat & *valorem* damni, & id quod *intereſt*; & ſi

quid

quid abundat, *beneficium pro maleficio : Uuic*; ut mulctis auctius tanto majori cum facilitate Majeſtatis onera ſplendoremque, ſicque Judicii facultatem ſuſtineat. Hæc eſt OECONOMIA POENARUM. *Paſſiones* autem moderatur Lex pro qualitate delicti, & proportione *doli*, *malitiæ* & *τῦ ἑκεσίυ voluntarii* in actu *ἀνόμῳ* comparentis. Culpæ minimus GRADUS minimum habet & *voluntarii* & *malitiæ* : ergò & *minime* puniendus *ultra* id, quod *expletionem* concernit Juris in læſo. Adeoque non magnoperè curamus, quid Imperatori viſum ſit, pro TAXA ſtatuere quorumvis criminum. Saltim id ſollicitè ſervatum video, ne, quod pœna eſt, tranſmitteretur ad heredes, optimè verò illud, quod pertinet ad Jus alterius EXPLENDUM : utriuſque rationes Philoſophiæ tyrunculi norunt, qui nondum ære lavantur.

IV.

De III. *Quaſi-delicto* non eſt ut operosè commentemur: Cui patrifamiliâs, ait Imperator, *ſimilis eſt is, qui eâ parte, qua vulgò iter fieri ſolet, id poſitum aut ſuſpenſum habet, quod poteſt ſi ceciderit, alicui nocere.* Quæ differentia *poſiti ſuſpenſique ab effuſo dejectoque?* vix aliqua per accidens. HIC actus hominis *immediatè*; IBI per *conſequentiam* intercedit: perinde autem fuerit, num lapidem v.g. *manu* jacias, aut ſic ſuſpendas in loco, ubi caſurus alteri cerebrum perfringat. Plures ejusmodi dantur ſpecies, quæ *culpa accidunt*, *his* tamen ſubtitulis minimè veniunt; ut neſciam, an laudanda ſit Religio JCtorum, an improbanda, qui litteræ Legis adhæreſcentes reliqua velut REDUCTIVE ad actiones *utiles* & *ex facto* referunt, miſerandâ certè *ἀμεθοδείᾳ* quod ingenui fatebuntur. Sic qui *brevium* ſigna non collocârit, *nec foraminum* in glacie ſeu piſcinis, ubì *calceis ferratis atque gliſcentibus* itinera fiunt, culpam contrahit. Sic qui navi *apluſtria* ſeu rete, tecto *ſepimentum* non circumdedit, aut *puteo*, in causâ eſt, ſi quis inde præceps decidat. Alii ad damnum ex L. *Aquilia* relaturi ſunt, ex l. 28. pr. π. ad *L. Aquil.* per me licet: Doceant modò, ut differant *quaſi-delictum*, & illud *ex culpa*. De puteo aperto nec contrà pecudis incuriam circumvallato legimus *Exod* XXI. 33. & deſcribit Philo de *Leg. Spec.* Ὀρύγματα γῆς, inquit, εἰώθασί τινες βαθύνειν, ἢ φλέβας πηγαζούσας ἀναστέλλοντες, ἢ πρὸς ἀποδοχὴν ὀμβρίου ὕδατος, ὧν ὑπονόμους εὐρύναντες ἀφανεῖς, ΔΕΟΝ τὰ στό-

Tertia cum aliis eò reducendis.

*μια* ἢ ΠΕΡΙΟΙΚΟΔΟΜΗΣΑΙ, ἢ ἐπιπωμάσαι, ἐπ' ὀλέθρῳ ἑκῶν εἴασαν ἀχανῆ. *Quidam ſolent foſſas in terram profundiſſimas agere, aut venas fontanas retecturi, aut ad excipiendam aquam pluviam: deinde ſpecus æquantes, ut ne cernantur, cum oporteret oſtia aut cingi muro, aut operculo tegi, ea in perniciem nonnullorum biantia relinquunt.* Quem locum debemus Clerico ad *caput cit.* aliumque inſignem de ſtructurâ *ciſternarum* in oriente ad *Geneſ.* XXI. 19. ex Diodoro Siculo *Biblioth.* l. 19. De tecto *lo ivâ* muniendo ne SANGUIS ædibus imponatur, legimus *Deut.* XXII. 8. conf. II. *Sam.* XI. 2. & *Matth* X. 27. quæ lorica non depreſſior fieri poterat *decem* palmis, quarum *ſex ulnam* efficiunt, obſervante Maimonide Rabbinorum JCtiſſimo *tractatu* de *Homicid.* c. 11. §. 3. apud Ainsvvorthum ejus compilatorem.

V.

Quarta; & quinta ſpecies an DETUR?

IV. *Quartum* Quaſi-delictum committunt nautæ, caupones ſtabularii, quorum culpa ex §. 3. conſiſtit in eo, *quòd operâ malorum hominum uterentur.* Eapropter ad actum refertur noxa, cum vel præfecti aliis teneantur reſpondere de commiſſis, vel improbè facturos ſuſceperunt in locum, quo excludere citrà injuriam potuiſſent. *Datur actio contra tales ob IMPUTATIONEM, quæ locum non habet, ſi exercitor eam declinet: ſi prædicat, ut unusquisq; res ſuas ſervet, neq; ſe damnum præſtiturum* l. 7. pr. h. t. *modò* viator & vector *ejus proteſtationi non contradixerit.* Verba ſunt Cl. Vitriarii *Comm. h. t.* Idem §. 4?. Condictionem ob TURPEM CAUSAM revocat ad *quaſi-delictum.* Ego (α) ſi UTRINQUE vigeat turpitudo, in dante & accipiente, ad *delictum verum* refero: quoniam TURPITER qui *dat*, *alienare* tantum videtur, quippe meo judicio alibi oſtenſo, dominus non transfert efficaciter rem ſuam *ex causâ turpi*, ſeu Lege N. prohibita. Veluti καθ' ἀναλογίαν donationes contra civile Jus ſunt nullæ, ut, donatio *inter virum & uxorem.* Ex hoc ſequitur; alterum non *accipere dominium*, utut videatur, neque teneri ad reſtitutionem ejus *quod non habet*, quanquam POSSIDEAT. Atqui cùm ipſa *poſſeſſio* orta ſit ex re turpi *permiſſâ* vel *patratâ*, reus erit poſſeſſor criminis ex geminatâ turpitudine, quòd & facinus ipſi imputetur, & quòd OB PRETIUM peccârit, *avaritia* ſtimulis adactus, nec GRATIS *improbus.* Delinquit inquam

quam VERE, & *accipiendo* præmium ſceleris, & *retinendo* tanquam rem alienam. (β) Si ex *laſciviâ* DANTIS ob formæ conſiderationem detur *virgini caſtæ*, honeſto titulo, transfertur dominium, ſi cogitatio turpis conditionem ſecretam non adferat, ſed ſerio donetur, etſi *nihil* ex voto ſecuturum ſit. At *conditionata voluntas*, non ſecutâ conditione, NATURALITER nihil tranſtulit, quod revocari non poſſit: niſi *ex pœnâ* retinendum judicetur, quæ non invenitur in St.N. (γ) Si à parte ACCIPIENTIS *turpitudo* verſetur, quam doctiſſimus Vir reſpicit, v.g. ſi *Latroni* pecunia detur, *ne occidat, debitori ut ſolvat: quaſi-delictumne* erit, pecuniam accipere, ne delictum patretur, vel omittatur, quod eſt in obligatione? Ratio probandi in §.45. purè *Civilis* eſt: neque nego, peccare minus latronem, accipiendo, quam occidendo Sed τὸ κρινόμενον eſt, *cauſa reddendi*. 1. Exiſtimem *reverâ* delinquere, qui ſine pecuniâ ſcelerum integer eſſe nollet, emptâ quaſi probitate. 2. Damnum datur *ſceleris metu*, quod in moralibus rependendum: 3. Redditionem igitur poſtulat, *imminuta* dantis *voluntas*, accipientis *ſcelus*, & *odium* generis humani. Hæc πρὸς τὴν φιλοσοφίαν.

## *Ad Lib. IV. Inſtit. Tit. VI. usque ad XII.*

## DE ACTIONIBUS.

I.

ACTIO ἀγωγὴ Græcis dicta, eſt JUS PERSEQUENDI IN JUDICIO: Quod ut intelligatur, ἀπαθέστερως χάριν præmittendum eſt (α) In civitate neminem *ſibi jus dicere* poſſe, quapropter læſio omnis ad eum referenda eſt, qui habet τὸ κύριον, cujus in poteſtate verſantur *Leges, Conſilia, Jus dirimendi* lites. In *Statu N.* quilibet ex ſuo cerebro *Jus* in re propriâ *ſibi* dicit, repetiturus ſua, ulturusque malitiam, quantum ad cautelam *ſecuritatis* & *correctionem* neceſſe videbatur. (β) Querelam propoſiturus *docere Jus* debet, quo nititur, & cujus gratiâ ſe læſum eſſe exiſtimat, *carendo* re SUA: Quorſum referuntur etiam *obligationes*. (γ) Intentio eſt actionis propoſitæ, EXPLETIO EJUS QUOD Actionis natura.

ABEST, ex *contractu*, *delicto*, *Legis arbitrio & adjudicatione* : Hûc pertinet ſi ad *pœnam privatim* agitur : in quo enim exceditur τὸ Suum, quod ex *contractu* aut *delicto* ſubeſt obligationi, *Legi* imputabitur, quæ vult læſos impendio illo recreari. Aliâs in St. N. damnum quisque ſuum *æſtimat* pro lubitu. Definitio loquitur (1.) de JURE *perfecto* ſcilicet: nam *imperfecta* ex virtute Jura & magnitudine animi, non ſollicitantur apud Judicem: De Jure etiam tali, cui Leges dederint *vim agendi*. (2) PERSECUTIO notatur, quâ rem efflagitamus ad ſupplendam *lacunam* ejus, quod deficit in Jure noſtro. Ergo *non Corpus* duntaxat, cum Juribus IN RE, *dominii* puta, *pignoris*, *poſſeſſionis* &c. Sed etiam *Jura* ipſa: ut *Servitutem*, *poſſeſſionem* ex Interdictis. Non res ſolùm *determinatas*, individua, ſed etiam *indeterminatas*, quà ſubſtant obligationi, v.g. *Summa pecuniæ in mutuo*. Perinde eſt, quo nomine ID adpelletur, quod SUUM eſt, v.g. in damni reparatione TANTUNDEM, qualecunq; demum ſit, tàm reverà ἰσόῤῥοπον quàm *læſi* ſolius, aut *Legis* aut *Judicis* æſtimio. (3) Denique IN JUDICIO actiones inſtituuntur non coram *arbitro*, ſed apud illum, qui *Juris & æqui peritus ad lites decidendas publicè conſtitutus* : qui Judicis ἰδιώματα! Varias autem ACTIONIS ſignificationes digeſſit in *Methodico ſuo Commentario* univerſi Juris privati ad *Inſtitutionum titt relati*. Cl. Vitriarius, Fautor noſter honorandus; cujus opera, ut & reliquæ curæ, merito laudanda eſt, quòd *Jus Naturæ*, datâ quâvis occaſione LEGUM explicationibus aſperſerit. De *extraordinariis cognitionibus*, quæ non *Judex* pedaneus ſed *Prætor* ipſe inſtituebat, non vacat monere: nam ſub *actionis titulo* ſingula nobis veniunt, quæ à ſuperiore *tanquam JUDICE* (quicquid ſit *de Judice Romano*) qualis *ipſa Majeſtas* eſt, *nec alii niſi per illam*, decidi & ad eum *querimoniâ oblatâ* deferri ſolent.

II.

Claſſes diviſionum.

Accedamus ad rem : Ex tit. VI. perluſtrabimus

## ACTIONUM PRÆCIPUAS DIVISIONES.

I. PRIMA eſt, cùm alia actio dirigitur IN REM, alia in PERSONAM: Illa Jus IN RE connotat, *quintuplex* illud tyronibus notum & πολυθρύλλητον. Ergo *dominium* non abſolvit actionem IN REM.

IN

IN PERSONAM agi *obligatio* facit, quæ eſt ad DANDUM, hoc eſt ad *faciendum generandumque* dominium, non *reddendum*: ut mirum ſit, quomodo *fur actioni utrique* fiat obnoxius, ſiquidem *cumulativè* intelligendum foret. Certè σιδηρόξυλον eſt, rem furtivam DARI oportere, ex ἀναλογίᾳ civili, arguente *Hubero* §. 23. Diximus tamen *ad Grotium*, atq. in ſuperioribus ad *Imperatorem* l 3. tit 14. *de oblig.* perſonas etiã circa rem noſtram *verè obligari*, ad reſtituendam rem, & *producendam* poſſeſionem. Sciendum (α) Actiones in REM lato ambitu patere: v g. Ex dominio univerſali eſt *petitio hereditatis* de rebus generalis, fidei commiſſaria, prætoria: Specialis, *de inofficioſo teſtamento*. Pro poſſeſſione adipiſcenda, actio ex interdicto *quorum bonorum*. Ex dominio ſingulari; actio civilis *rei vindicatio*, prætoria, *publiciana* in rem actio, & *reſciſſoria*. Ex dominio minus pleno; actio civilis, rei *vindicatio*, *Emphyteuticaria*; prætoria, rei vindicatio *ſuperficiaria*. Ex ſervitute; actio *confeſſoria*, *negatoria*. Ex jure pignoris; actio prætoria *Serviana*, actio *Pauliana*. Pro conſequenda poſſeſſione pignoris, actio ex interdicto *Salviano*: confer modò citatum *Auct.* l. cit. Struv. *Ex.* XLVI. θ. 63. Audis aut *Civiles* eſſe, aut *Pratorias*. Quid hoc? HAS puta Prætor ex ſua Jurisdictione producit, quod Leges vel ex *incuria* vel ſingulari *prudentia*, aut etiam priorum temporum *ſimplicitate* perſecutioni in judicio plurima ſubtraxiſſet. *Æquitatis* enim Prætor eſt ſtudioſior, ac Leges acerbæ nimis *ipſa ſimplicitate*. Inter CIVILES actiones IN REM numeratur, *rei vindicatio, in rem utilis*, *hereditatis petitio*, *confeſſoria*: Omnes ſibi *Jus* expleri poſtulant, quod imminutum vel ablatum eſt, quorum extantius nullum eſt, inque oculos incurrens, quam res *dominio* ſubjecta apud alium poſſeſſorem, adeoque etiam *heredem* ut poſſidet. Tranſeo quæſtionem ſpinoſiſſimam: an *poſſeſſor in rem* agere poſſit, ventilatam à Noſtro præl. §. 7. h. t. (β) PRÆTORIÆ in rem enumerantur, *Publiciana*, *Reſciſſoria*, *Pauliana*, Serviana & *Quaſi Serviana*. *Prima* naſcitur ex *præſumpto dominio*, cum uſucapiens ſibi dominus, ſaltim *aliis* videatur: cui ſuccenturiatur *æquitas*, cùm *duriuſculum* ſit §. 4. h. t. ut ille, qui in limine perficiendæ *uſucapionis* conſtitutus cernebatur, alienâ procaciâ caſuque bolum ſibi eripi permittat. Sed æquitatem intellige *Civili Juri accommodatam*: oportet enim, ut qui hâc actione velit experiri, nec dominus

minus ſit, neque ſibi opinione dominii magnoperè blandiatur. *Bonæ fidei* enim *Poſſeſſor* ex Jure Canonico talis, inſtar Domini, qualem ſe ſuâ opinione gerit, *actionem* inſtitueret *dominio ſuo congruam*. Repetit hîc auctor controverſiam de *Jure poſſeſſionis* cum actu poſſeſſionis, ut putat, amiſſo, quam hic non moror: ſaltem faciliora difficultatibus implicat. Confer tamen *Pral.* §. 2. Inſt. de *Interdict.* Jam dictum, *Publicianam* hanc oriri ex *Jure in Re præſumpto*, cum poſſeſſio uſucapientis pro *dominio ab aliis* habeatur: nec opus eſt mendacio, ſed uſucapionis *in fieri* per actum ſecundum *complemento*. RESCISSORIA multum coloris trahit â Civilibus. Quid enim *reſciſſione* uſucapionis opus apud eos, qui *Reipublicæ gratia* abſunt? cur impedimentum *initio* præſcriptionis allatura, non nocent *continuationi*? Uſucapio nititur *ſcientia* & *voluntate*: at Reipublicæ curis diſtentus & abſens parum ſua recordatur, laudabili negligentiâ. Sed *omne magnum Exemplum habet aliquid ex iniquo.* Hûc loci pertinent *reſtitutiones in integrum*, magna ſermonis occaſio, & declarandæ ÆQUITATIS. Aſt manum de tabula! Vid. inſtar omnium Cl. Schilterum *Exercit.* π. XI. qui παλινδικίαν ſeu *Reſt. in integrum* nervoſiſſimè explanat. Ex PAULIANA miſſi in poſſeſſionem repetunt *alienata* per *fraudulentum* debitorem, etiam quæ *ante* m[iſſi]onem ſejuncta fuêre, & vel *maximè*; quod contra *Sandium* probat *Huberus*. Cujus ratio ferè omnis colligitur in hunc nervum, ne *malitia cuipiam lucroſa* ſit. SERVIANA *colonum* affligit ejusque RES, quæ domino pro mercede obligantur: Et illæ vindicantur â quovis poſſeſſore. Intereſt enim, ne dominis damnum attrahatur coloni ſocordiâ: quanquam neque durius procedendum ſit, ſed ex temperamento æquitatis. HYPOTHECARIA datur ad *perſequendum pignus* ex Jure in rem haud invalido. Tralatitium eſt, diſtingui *pignus* & *hypothecam*: Pignus traditione fit. Sed annon Jus in Re conſtituitur *ſolo pacto?* negat *Huberus: inde natum eſſe*, ait, *quòd Prætor edicto hypothecariam perſecutionem* (cùm pignoratitia actio civilis ſit) *ſtatuminaret, quòd pacto ſolo nullum Jus in re generetur.* Inane Myſterium ſolaque Juris ſubtilitate nixum. *Effectus* utique conveniunt, & *ex æquitate* perſpicuâ comprobantur. (γ) *Tertio* notari debent Actiones in PERSONAM, *condictiones* vocant, §. 15. Inſtitut. h. t. Objectum ſunt *Obligationes* &

*per-*

*perſonæ ἀμφέως*; apparentes ex *contractu*, *delicto*, *Lege*. Sic Condictio *ex Lege*, nova ſcil. occupatâ circa *negotium*, cui nulla actio ſcripta eſt: *Triticiaria*, Franciſcanorum dicta per jocum: de eo *quod certo loco &c.* in Jure tractantur. PRÆTORIÆ in PERSONAM, ſunt vel *perſecutoria* rei, vel *pœnales*: Ad illas referunt actiones *conſtituta pecuniæ*, quæ promiſſo; *de peculio*, quæ connexioni perſonarum & poteſtati; *& in factum*, quæ Jurijurando, innituntur; *conf.* §. 9. 10. 11. Inſtit. Illud autem Jusjurandum, de quo hic ſermo eſt, ex *delatione ſeu relatione* vim capit ad indolem *pacti*, ut cauſa ſuperare neceſſum ſit, qui religionem exolvit; *hujusque ſcopus eſt unicus*, confirmante noſtro Hubero ad §. 16. h. t. *ut vice probationis fungatur*, *non ut magis minusve pœnam reddat obligatione*. Prætoriæ POENALES §. 12. enumerantur; ſed, faſſo Cæſare, *dantur infinita*, quà non expoſcitur tantum, quod deeſt & intereſt, ſed aliquid ultrà, quod *commodum* futurum ſit læſo, *lædenti grave* & moleſtum. De his ſupra. PRÆJUDICIA, *neutrius* generis actiones, ſi Hubero credimus, circà *ſtatum* verſantur, cùm *ſervis, libertis, partui* contentio naſcitur, & viciſſim, Domino, patrono, genitori; eliminanda prius, quàm de reliquis agatur momentis deciſioni ſuperſtructis. Sic hodiè actio utilis datur *dominos* inter & *colonos adſcriptitios*, alioſque ruſticos operas præſtantes: Nec minus inter Magiſtratum & ſubditos, dubios *fratres*, cognatos, *maritum & uxorem*. Et quos non?

III.

II. SECUNDA diviſio eſt in PERSECUTORIAS, POENALES & MIXTAS, deprompta ex *effectu*. *Perſecutoria* τὸ SUUM, Jus in re cum omni Intereſſe, quod vocant, ſectantur; Id tamen quod intereſt, in certis Speciebus & quantitatibus ultra *duplicationem* aſcendere nequit. De aliis juratur in litem, vel liberale nimis æſtimium temperat Judex. Ea verò, quæ caſu & exterius in lucri rationes incidere poſſunt, non curantur. *Pœnales* à Lege proficiſcuntur, neque dantur in Statu æquatorio, *quà tales*, licet moleſtum ſæpiſſimè ſit, quod intereſt & pro damno ſolvere. *Cautelæ* gratiâ & *ſecuritatis* nocetur hoſti, ultra *repetitionem* rei noſtræ & expiatæ *injuriæ* Quod ad *Grotium* diſcuſſimus. Quid *mixtæ* actiones? *cum* quæ *pœna* ſimul & *damno* reparando imminent: *tum* quæ ob apparen-

tiam dicuntur, *ob praſtationes perſonales*, minimè tamen ex *obligatione* ſimul & *jure* in re tanquam causâ & origine progenerantur; quod ex *quatuor Judiciis diviſoriis* §. 22. probatum dedit Friſius Anteceſſor.

IV.

III. III. Diviſio eſt, quæ concipitur in *ſimplum* & *duplum* &c. Operoſum foret rationes exequi, cur *diverſis delictis diſparem* quantitate pœnam irrogari placuerit. *Conditio* Reipublicæ criminumque, imprimis *turpitudo inficiationis*, & enormitas ex *materia*, v. g. *depoſiti miſerabilis* graviorem attrahere ſolebant pœnæ moleſtiam. Sic qui *metu* exprimi ſibi aliquid paſſus eſt, ſi reus reſtituere nolit à Judice inſtigatus, *quadrupli* ultionem inſtituit. l. 14. §. 1. quod metus cauſ.

V.

IV. IV. QUARTO dividuntur in *bonæ fidei*, *ſtricti Juris & arbitrarias* actiones. Obſervandum circa illas BONÆ FIDEI. (α) Quod in illis liberè judex æſtimaret, quid alter alteri, etiam ultrà *conventionis expreſſiones* dare præſtareque teneretur ex ÆQUO & BONO; *formulaque* à Prætore judici datæ adſcriptum communiter eſſet: EX BONA FIDE. Econtrà *in ſtricti Juris* A. ad terminos formulæ Prætoris conventorumque *adſtrictus* erat ſententiam dicturus Judex. Sed (β) quæritur: unde Prætor agnoverit, quid ex *æquo & bono*, quid *ſtricte* judicandum eſſet? Quale actionum κριτήριον? Non ſatis clarè, fateor, me videre in iſtis tenebris: Si tamen partibus accedendum foret, Cl. *Thomaſio* aſſurgerem, qui b. f. actiones oriri ait *ex mutua præſtatione* PROPORTIONATA, *quæ nullibi minus deprehenditur ac in beneficiis*. Contractus innominatos, *permutationem* & *æſtimatorium* contractum Emptioni ſimillimos eſſe ὀφθαλμοφανερῶς patet, ut & *ratio*, cur b. f. actionibus adſcribantur. Pariter juſtiſſimum erat *Strictis* adnumerari *Stipulationem*, cùm verbis ſtandum ſit illo maximè tempore, cum obligatio *iisdem* puriſſimè debetur. Laterculus Cæſaris §. 28. nodum Gordium diſcindit magis, quàm diſſolvit, ſufficitque Legibus PRO RATIONE *voluntas*. Confer. §. 30. Ex quo (γ) colligitur, *compenſationem* ad b. f. A. omnimodè quadrare, cum præſtationes ad *proportionis libellam* exæquentur: Eſt *enim crediti debitique contributio* l. 1. π. de *compenſ.*

*compenſ.* quæ IPSO Jure in omnibus Judiciis poſt *Marcum Cæſarem* operari cœpit. Hoc eſt, per naturam *debitum creditumque* commenſuratur: neque id tam meum eſt, quod ad *alterius* expletionem Juris pertinet, quam quod ex altero relatorum *in meo* viciſſim expletur: Unde ne monitus quidem à Prætore Judex illi obſervandæ attendere debuit. Regulæ b.f. *Contractibus & Act.* adſcriptæ fundamentum habent in Jure N. luculentum. Quid enim æquius, quàm dolum contractui b.f. cauſam dantem ipſo Jure *nullum* eſſe? cum ſtricti Juris obligatio *exceptione* demum elidatur. Quid juſtius, quàm uſuras deberi ex pacto nudo, cùm in ſtricti Juris *Stipulatio* exigatur? Terminis enim *hic* arctius quàm *illic* inhæretur, pluraque par eſt, ex voluntate contrahentium ſubintelligi. Ex dictis de b.f. *Strictioris Obſervantiæ* noſcuntur actiones. At quid ſunt ARBITRARIÆ? Definit Huberus ex Juſtiniano: Sunt, *in quibus ſi Judicis arbitrio jubentis rem petitori reſtitui, non pareat reus, condemnatio in aliquid majus ſequitur.* Quæ longè melior illâ A. *Matthæi*, ſi quidem cum b. f. nomenclaturâ confundenda non ſit. Species exhibentur §. 31. quem fusè explicant Commentatores. Id ſolum annoto, ſi ἱερισμῷ allato ſtandum eſt, pro *conditione* Reipublicæ è quibusvis Judiciis arbitrarias actiones prognaſci poſſe. Sed nî fallor, hæc diſtinctionum claſſis *ante alias ad* FORMULAREM antiquitatis Jurisprudentiam ſpectabat, cùm mirificum illud animal *Judex pedaneus* ad ſcabellum ſuperbi Prætoris traheretur alieno arbitrio, *ceu nervis mobile lignum*, ferretque ſententiam è *præſcriptis verbis*, liberalis, æquus, ſeverus & adductior futurus ad NUMEROS. Ego, dum minutias illas, ambages & ſpecioſas ſubtilitates animo intueor, ſic exiſtimo. (α) *Pulchrum* quidem eſſe, ſi moralia & judicium de his ferendum *argutiſſimè* expoliantur. Quid enim jucundius lectu, quàm ſi caſus implicatior, à docto JCto *explicetur*, *elaboretur*, *decidatur*. Verum (β) quis omnes actionum *rimas* & inveniat, & pulviſculos excutiat? Infinities variantur & FACTA & LEGES, *nî* debeant aliquid habere ex iniquo in ὑποθέσει. (γ) Unde fortè *deſperata perfectione*, pulchrius tutiusque ad primam *ſimplicitatem*, ad Judicia EX ÆQUO ET BONO recurreretur, *qualia* cum *paucis legibus* in Republica Judaica floruerunt. Eſto tunc fieri, læſum ſubtilitate Juris ſuſtinendum, *ignorare beneficium*, acquieſcere, re-

 mitte-

mittere; QUAM FELIX IGNORATIO? compenſanda magis Divinâ benedictione, quam ſi ſubtilibus argutiis *centum Dicaſteria* fatigaſſet! SUMMARIUS proceſſus OPTIMUS!

V I.

V. Cum reliquis.

V. QUINTA diviſio ſolidum perſequitur vel non ſolidum ex §.35. ILLUD quid ſit, per ſe patet. HOC: cum *impenſis* aliâve cauſâ aliquid deminutum eſt, quod cernitur in actione de *peculio*, & ex ſtipulatu *de dote*. *Ibi* capitur, quantum forte adeſt: *Hic*, quantum patitur mariti Jus ortum ex *mandato*, *negotii geſtione* pro conjuge, & *ſic porro*. Ut de *compenſationibus* modo memoratis nihil afferam, & iis qui privilegio gaudent, ne teneantur, *ultrà quam facere poſſunt*. De quo ad lib. 3. obiter. Sunt & aliæ diviſiones haud minus neceſſariæ, quas Juſtinianus ſicco hîc pede tranſiit. (α) Diſtinguunt inter directas & contrarias. Elegans Scholium Cl. Thomaſii non adſcribo, quod longius. Illo rationem actionis directæ ad obligationem in contractu *principalem*, contrariæ ad *minus principalem* revocat. Sic in Emptione, Societate, communi dividundo, finibus regundis, utrinque directa actio naſcitur, quia par utrobique onus, præſtatio, & principalis obligatio. ITEM diſpeſcunt in *directas*, & UTILES: *illa* κατὰ ῥητὸν, *hæ* κατὰ διάνοιαν inſunt Legibus, cum ad affinia ſenſus extenditur ob rationem legis & æquitatem. (β) Aliæ ſunt GENERALES, actiones, ut illa *mandati*, *tutelæ*, pro *ſocio* omnium bonorum, *familiæ erciſcundæ*, &c. Hereditatis *petitio* propriè vocatur *univerſalis*. Aliæ SPECIALES, ubi de ſingulis rebus agitur, *commodato*, *depoſito*, *communi dividundo* &c. (γ) Iterum nonnullæ ſunt ſimplices & *duplices*: *Hic* par, *ibi* diſpar occurrit partium conditio. (δ) Tandem Magiſtralis diviſio in *Petitorias* & *Poſſeſſorias* tritior eſt, quàm ut à quopiam ignoretur. Ordo id exigit Judiciorum, eique ſubſtrata imbecillitas humani generis, ut, cùm Judex *non ſit omniſciens*, nec inter *poſſeſſorem* atque *dominum* niſi ex *actis* & *probatis* diſcernere valeat, *poſſeſſori* tantiſper firma detentio concedatur, donec in *petitorio* de *firmiori* quodam Jure probationes congruæ proferantur.

VII.

Actionum Syndrome.

DE CONCURSU ACTIONUM ſciendum, aliquas *cumulative*, alias *elective* concurrere: cujus ratio fundamentalis in eo ſita

eſt,

eſt, NE BIS *animadvertatur in IDEM, eodem puta reſpectu.* Sic perſequi rem ſuam cum eo quod intereſt, ſed & *pœnam* quà talem, nihil improbum civiliter, niſi ſcrupuloſius rimere. Pariter *publica* per *privatas* non abſorbentur. Iterum in delictis contra plures ſimul Leges peccari, & reatus ad pœnas ſubordinatas, vel in unum eò gravius miſcendas conciliari poteſt. Quod oppidò φανερόν. In ὑποθέσει, *ut* actio cum actione concurrat, quæ *prius* inſtitui, quæ *poſterius* &c. quemadmodum ab arbitrio Legumlatoris in Civitate ſuam indolem vigoremque deciſio nanciſcitur: ita Sacerdotibus Themidos hæc extra limitem Philoſophiæ ſita meritò relinquimus.

VIII.

Tituli VII. baſis in *connexione poteſtatis* pacti aut voluntatis ejusque vinculo morali conſiſtit, ut *alter pro altero* reſpondere teneatur, luere, dare. *Sed & per hominem alterum*, ait Grotius L.II.c.11. 12. *obligamur, ſi conſtet de voluntate noſtra, quâ illum elegerimus, ut inſtrumentum noſtrum ad hoc ſpeciatim, aut ſub generali notione*; quod valet non *in mandato* duntaxat, ſed etiam *ſubordinatione* poteſtatis & præfecturæ. Quod patet (α) ex Actione QUOD JUSSU, quæ competit illis, qui cum ſervo vel filiofamiliâs contraxerunt, manifeſto *poteſtatis* indicio, tacitæque ratihabitionis cum agant omnia, & agere præſumantur ſub oculis Patrisfamiliâs. Quæ omnia tamen, ſi deſit Legis auctoritas, æquitatem arbitram ſibi expoſcunt in St.N. (β) EXERCITORIA & INSTITORIA actio (quæ non differunt niſi *ex objecto* marinæ & terreſtris negotiationis) manifeſtam habent rationem, *quòd eorum voluntate negotium intelligitur eſſe geſtum cum iis, quos vel exercitor vel magiſter tabernæ præpoſuerunt, magiſtros & inſtitores.* Ratio Politica commerciorum reſpicit utilitatem. De his ita Grotius l.c. §.13. *Hinc intelligi poteſt, exercitoriam & inſtitoriam, quæ non tam actiones ſunt, quàm qualitates actionum, ipſo naturali jure niti. Adjiciendum hic eſt, male Romanis LL. introductum, ut ex facto magiſtri tenerentur in ſolidum ſinguli exercitores. Nam hoc nec naturali æquitati convenit; quæ ſatis habet, ſi pro ſuis ſinguli partibus conveniantur, nec publicè utile eſt; abſterrentur enim homines ab exercendis navibus, ſi metuant, ne ex facto magiſtri quaſi in infinitum teneantur.* Si facta ſit *denunciatio*, ne ſervo crederetur inſtitori, & ſervus ex contractu peculium habeat, Actio ex facto alterius.

 ceſſat

ceſſat actio. Idem *Grotius* l. II. c. X. §. 2. (γ) TRIBUTORIAM dirigit Juſtitia *Geometrica*: ſi *ſervus* aut *filiusfamilias* verſatus fuerit ſciente Patre vel domino in negotio, nec pro *ratâ* tribuerit, quod ſingulis Creditoribus debebatur: inde naſcitur actio, cui *dolus & iniquitas* cauſſam dedit, quanquam non *delictum*, ſed rem ex delicto abſentem actor perſequatur. (δ) Actio de PECULIO imminet Patri vel domino ob contractus poteſtati ſuæ obnoxiorum, ſed non niſi *ſecundum vires peculii*. (ε) ILLA de IN REM VERSO novam χέσιν induit, ut inſtet utrique, Patri & Domino, quod patrimonium ipſorum ex contractu filii ſervive fuerit *augmentatum*. Ergò datur, etſi nihil ſuperſit in peculio: differtque à priori A. niſi per SE, ſaltim *per accidens*; ex medio *termino* libelli viriumque *majori firmitate*. Utraque tamen de peculio & in rem verſo imbecillior eſt *inſtitoriâ* & *quod juſſu*: Hæ in ſolidum agunt; priores ad menſuram *peculii commodique* percepti. Quicquid autem ſit de filiofamiliâs debitore, qui debet *utique naturaliter*, & moleſtiam creat Parenti, qui propter ipſum convenitur: ne fœneratoribus palpum, & faſtidium Patribus obtruderent Leges, SCto *Macedoniano* cavebant, *ne quid ſolveretur*. Ceſſat tamen, ſi ceſſet ratio legis, v. g. ſi *filius peculium habeat, ſi mentiatur*: Contra ſi *pater reſciat omnia & probet*: ut & ex materia; *ſi in res utiles & honeſtas creditum* expendatur.

## IX.

Actio noxalis. NOXALIS actio, de quâ tit. VIII. memorat, damni expletionem urget, quod SERVUS dedit: Hic ſpeciem actioni dat & nomen. Sic datur noxalis *Aquilia, injuria ex L. Corneliâ, furti* &c. Sed cur dominus implicatur? Quia præeſt ſervo, eumque in perfectiſſimâ habet poteſtate: Ergo dedendus, aut æſtimium reddendum eſt. Etenim, cui quid deeſt, ad *tantundem* agit, cui oneri levando deditionem gentes & leges admiſerunt: idque prorſus ex æquitate: cum qui ſunt in poteſtate, beſtiæ ſint vel homines, non ſemper diligentiæ reſpondent & voluntati dominorum. Baſis A. ut ſit *quaſi contractus*, haud capio; Cur non magis ex *quaſi-delicto* flueret, ut illæ de *effuſo* & *ſuſpenſo*. Filiumf. obnoxium huic A. fuiſſe ob patriam dominique affinem poteſtatem apud Quirites haud moneo. Ita liberos noxæ deditos, citra jacturam tamen libertatis, ex antiquitate Græcâ Latinâque luculenter docet Cujacius l. XIII. c. 9. confer etiam Gonzalez. c. *lator* 2. X. de *pign*.

X. Ut

X.

Ut agatur, non læſorum ſemper præſentia opus eſt, ſed per *Procuratorem* tribunal ſolicitatur. Quid enim crudelius, quàm *ægrotos* & aliunde *impeditos* in Jus vocari aut lecticâ ferri? Lata de his *per* π tractatio. Φιλοσοφικῶς (nam reliqua lubens tranſeo) pertinet ad Procuratorem, (α) ut, tanquam vicarius habeat *mandatum, firmum, probatum*, auctoritatis plenum: ſaltim negotio, quod geſturus eſt, *ſufficiens*. Perinde autem fuerit, an cum *libera* vel *ſecus* circa *omnia* vel *ſpeciatim*; cum *plena potentia* vel *cum exceptione* ratihabitionis conſtitutus ſit. Modum iſthæc accipiunt à *voluntate* domini: conf. Eckold. ad π. de proc. (β) Civiliter ab *Advocato* cauſæ *patrono* differt, fit *dominus* litis poſt L. *conteſtationem*, & ſatisdare cogitur. NATURA repræſentat perſonam domini, tanti habendus, quanti huic viſum ſit. Tenetur ex *negligentia* & *dolo*, velut in mandatis. Etiam Univerſitas agit per *Syndicos, Legatos, Imperantes*, ſed habitu, ceu moralia ſolent, diverſo. γ) *Mulieres* procuratorium ſuſcipere *mali moris*, impuberes & inexpertos, *inconſultum* eſt. Utrinque tamen quo minus ſtent in Judicio nihil prohibet.

De Procuratore quædam.

XI.

De SATISDATIONIBUS agitur tit. XI. *Veteri* prudentiâ ſtatutum erat, ut reus *in rem* conventus ſatisdaret *judicatum ſolvi*, quò onere *Actor* levabatur: ſecus *procurator*, ſatisdaturus de domini *ratihabitione* caſu mandati vacillantis: quod oppidò ſimplex, quemadmodum ne reus ſatisdaret conventus *actione in perſonam*. RECENTIUS Actor cavere debet de *conteſtatione litis intra duos* menſes. Reus de *judicio ſiſti & permanſione* in illo: quod fit tribus modis, *fidejubendo, jurejurando* & per nudam *promiſſionem*. *Immobilium* poſſeſſores non egent ſatisdatione: *Pauperes* ut & *Illuſtres* jurant. Neſcio verò an ſatisdare *contumelia ſit adverſa honeſtis viris*, ut loquitur Ulpianus l. 17. π. *de teſt. tut.* Nam ſequeretur etiam *jurandum* non eſſe. Neque enim non jurato v. g. *teſti* creditur. Quis hoc putet injuriam *ex diffidentia bonæ fidei*? Quod attinet Satisdationem ut *Sapientiam* olet ita & *Jus*, cum interſit *Reipublicæ, Juſtitiæ & partium*, caveri de *lite, ſumptibus, perſeverantia indemnitate*: Quæ tamen *moribus* ditionum variantur. De Procuratoribus in *judicio datis*, & *extra* illud, ut caveant, vid. apud JCtos.

Satisdationes.

XII. Ac-

XII.

Tempus actionum & transmiſſio.

Accedit *tit.* XII. de *perpetuis & temporalibus* Actionibus: qui *duas* partes continet, eùm quæ *temporaria* ſint actiones & perennes tum quæ ad *heredes* tranſeant. Obſervo (α) *Iuſtum* eſſe, ut *aeternis* litibus vita non maceretur, quapropter etiam *perpetua* ultra 30. annos, rarô ad 40. durant. *Arbitrio* autẽ Legis meritò imputatur temporalium ad *tres, quatuor* pluresve annos adſtrictio. (β, PERSECUTORIAS *rerum*, durare *perpetuò* h.e. per γενεὰν ab æquitate commendatur, cum *expletione Iuris* honeſtius nihil, nihil utilius. At pœnales citius expirare debent, præſertim quà *pœna* propriè τιμωρίαν notat, quòd τῦ παραδείγματος neceſſitas, *ſcandalum, gravitas* delicti cum tempore ſeneſcat. POENALES igitur *Civiles perpetuò* durare aſperum; Prætorias *annum* duntaxat ex caſu officii eſt: quanquam hîc excipiatur *furtum manifeſtum*, ex causâ quod nec manifeſtum ex L. XII. tabb. perenni actione premeretur. (γ) Annus ut *continuus* ſit vel *utilis*, ex inventione ortum eſt *æquitatis* perquam ſtudioſa, quatenus præfixi temporis anguſtia prorogationibus laxabatur, *ob ignorantiam, dies nefaſtos*, aliasque cauſſas. ALTERA pars tituli monſtrat *devolutiones actionum*. HEREDIBUS competunt juſtè actiones & *perſecutoria* & *pœnales*, ob intereſſe agentium, quod in merè *perſonalibus* expirat, uti & in actionibus *popularibus*. IN HEREDES dari *perſecutiones rerum*, manifeſtâ ratione conſtat, quoniam in bonis ſupereſt, unde Jus *læſum* expleatur per illos, qui *mortuum* eo reſpectu *repræſentant*. Quod in *pœnalibus* non valere ἐξαγώνιον. Reatus enim ad pœnam *formaliter* conſideratam hæret in oſſibus delinquentis. Nec obſtat, quòd *heredi innocenti* moleſtum ſit: debuit enim cogitare *non eſſe in bonis*, quod actione intentatâ ereptum itur. E*xceptionem*, *ne ex delicto ſint profecta* actiones perſecutoriæ *valitura in hæredem*, in Philoſophia Juris haud aliter admitto, quàm ut de *meris delictis* damnum in bona *non inferentibus* intelligatur. Si enim moriens *damnum injuriâ* dedit, penſandum abs herede erit; PLUS enim habet in hereditate, *quàm par eſt*. Et conſtat obligationem reſtitutionis à *primo delicti momento* pendere, quam ſi non expleverit defunctus, heres luat in bonis. Saltim *condictio furti* tranſit ad poſteros, non *ut fures* ſed *ut furum heredes*. *Huberus* h. l. negat ex furto eſſe actionem, ſed occaſione furti: Idem eſt,

quod

quod clarius modò dixi. Laudatiſſimè omnium definit Imperator §. 2. quòd ſatisfaciens actori ante ſententiam abſolvi debeat: ſic enim & ignominia & ſumptus devitantur.

## *Ad Lib. IV. Inſtit. Tit. XIII. & ſequent.*

## DE EXCEPTIONIBUS ET INTERDICTIS.

### I.

Actio actorem, exceptio reum concernit, quâ tanquam Clypeo contra vim actionis & Juris nimii *τȣ̃ ἀκριβοδικαίȣ* muniatur: fitque per illam, ut vel elidatur penitus, aut ſaltim deminuatur. Ita Cicero l. 2. de *Invent. Is*, inquit, *qui agit, judicium PURUM poſtulat: ille, quocum agitur, EXCEPTIONEM ait addi oportere.* Varias acceptiones vocabuli & luculentas ex antiquitate recenſet B. Friſiæ JCtus. FORMULIS actionum plures inſertas fuiſſe memorant, hunc fere in modum. SI PARET, TITIUM A MEVIO X. MUTUO ACCEPISSE, niſi pacti ſint de non petendo, JUDEX TITIUM MEVIO CONDEMNA. Obſerva I. Exceptionis vim in Æquitate conſiſtere, eâque ceu fundamento niti: Sed æquitas non Juri, ſed ſummo Juri opponitur. Conſidera, Leges multa præcipere, quæ univerſim concepta nimio rigore laborarent, v. g. *contractum ex metu valere.* Nec tamen exiſtimare te velim, quaſi quævis interpretatio, quod eſt officium Judicis, exceptionem peperiſſet: ex formulis agebatur apud Veteres, atque per indulgentiam Prætoris Jus dabatur, quibus modis, & quibus in cauſis excipi poſſet & deberet. Laudari debet *conſtantia Legum* apud Romanos, quas ſæpe ſæpius *mutari* Civitatibus peſte atrocius nocet; ut vigere, ut actiones fundare paterentur licet duriſſimas: datâ tamen veniâ methodoque, quâ dextrè infringerentur.

*Exceptionis fundamentum.*

II. Cæſar *Exceptiones famoſiores* adducit. (α) *PRIMA metum* obtendit, ne ſit efficax promiſſio; cujus intuitu in integrum reſtitui par eſt illum qui læditur. *Nihil enim conſenſui*, qui tamen ad morales & imputabiles actus requiritur, *tam contrarium eſt, quàm vis*

*Ejus Species.*

*atque metus*: *quem comprobare contra bonos mores eſt*: inquit Ulpianus l. 116. π. *de R. J.* Unde ſtatuo, *metum maximum*, qui vitæ imminet præſentiſſimo periculo, ſic elidere libertatem, ut vix *ſcintilla* ſuperſit: ſaltim nulla ejus portio, quæ valeat *ad imputationis pondus.* Ita & *proportionatè* de reliquis gradibus libertatis; quam metus imminuit ſecundum vehementiam & remiſſionem ex περιςάσει omnium rerum *æſtimandam*. Saltim *Civiliter* imputari nihil debuit, quod ex *libertate impedita* profectum eſt. Quamobrem non tam *emollienda* aut infringendæ ſunt ejusmodi humanæ actiones per æquitatem quam NULLÆ: neque tam ἀκριβοδίκαιον eſt imputare, quàm ἀδικία, ſi *ultra dimidium* læſa ſit libertas, preſſo verſus metum animo, ut *inſtinctui* ad ſe conſervandum *violentiſſimo* obſequatur. Vide quæ dicta ſunt *à Grotio*, & *ad Grotium* l. 2. c. 11. 7. Aliâs *neque Lex Civilis* violentiæ favet: quæ enim *cum bonis moribus pugnant*, *ipſo Jure NULLA ſunt*. l. 5. C. de LL. *Dotis promiſſio* metu facta perimitur, *tanquam ipſo Jure nulla* l. 21. §. 3. π. *quod met. cauſ.* SECUNDA Exceptio eſt *dolus*; qui cum *contractus b. f* ſic conficit, puta *ſi cauſſam dederit*, ut *nihil* agatur, in ſtrictis per *exceptionem* operatur. Dolus lumen rationis extinguit, tollitque principium *morale ſcientiam Errore* corruptam vel *ignorantia* ſepultam: Sic decepta voluntas ruit in actum, ceſſatura, ſi mens non cœcutiret. TERTIA Exceptione *non numeratæ pecuniæ* nihil eſt naturalius: Chirographum enim probat *ex litera*. exceptio *ex re*: ſic confeſſio præcipitata tollitur veritate contrarii, ſed luculenter probatâ. QUARTA pactum *de non petendo* obligationi Creditoris opponit: QUINTA præſtitum ex delatione *jusjurandum* petioni. *Iniquum*, ait Imperator, *foret condemnare poſſeſſorem* aut accuſare debitorem *perjurii?* Ἐπιείκεια & Chriſtiana Charitas poſtulant, *optimè* ſentiri in defectu probationum aliarum de illo, qui Jurisjurandi religionem ſuſcepit. Interim de *perjurio* agi poſſe, quis neget? Reliqua tranſeo: id verò notaverim, Exceptiones illas *Jurisjurandi*, & *Judicati*, non tollere *internam* Obligationem, quæ DEO & conſcientiæ perſpecta eſt *non Judici*.

II.

Diviſiones. III. DIVISIONIBUS attendi neceſſe eſt. Diſtingui enim ſolent: (α) in *Civiles* & *Prætorias* notâ origine & nomenclatione. (β) *Per-*

*empto-*

*emptorias* & *dilatorias*. *Illa* quæ ſemper proſunt & opponi poſſunt: *hæ* ad tempus. Aliæ *ante litem* conteſtatam expediuntur, *aliæ poſt illam*: quædam *ſimul* cum aliis, quædam *ſeorſim*. Qualia cùm ex Civili genio colorem trahant, neſcio quid magnoperè in iis deſudandum ſit. Id peculiare, quòd *lata ſententia* litisque deciſione remanſerit velut in Pandoræ pyxide *ſpes* aliqua, binæ ſc. exceptiones ex *SCto Macedoniano* & *Vellejano*. Quorſum referunt exceptiones *in factum*, & illam, *ne quis teneatur ultrà quàm facere poſſit*. Ex quibus breviſſimè allatis cognoſcitur, Exceptionibus id negotii datum eſſe, ut elidant & deminuant *intentionem* actoris, *obligationem* Legis & *apicem* Juris inde oriundi: non *privata* hæc temeritate, ſed *æquitatis* ſub præſidio, *firmata* per *auctoritatem* ſuperioris, aut per *indolem* ipſius, quod in litem adducitur, negotii. Adeoque *allegationes* contra *nullitatem* actionis propoſitæ exceptionum titulo non veniunt.

III.

De REPLICATIONIBUS agitur tit. XIV. quæ ſunt exceptionis *refutatio*. Eas ſæpè geminari repetique poſſe, dubium non habet apud illum, qui abſconditos litium mæandros inſpexerit, actionumque moralium difficultates ſalebroſas intelligat. Mirificam Juris per diverſas & exceptiones & reſponſiones jactationem artesque Patronorum cùm penſitaſſet celebris ex Italia ſcriptor *Ferrante Pallavicino*, in hæc erumpit verba: *Gli Avocati ſi ſervono de' Clienti quaſi di balloni per mandare & rimandare, battere & ribattere, ſinche perdono il fiato.* Replicationes.

Ceu *pila* jactantur miſeri ſine fine Clientes:
 E laceris donec *pellibus aura ruat*.
*Sic geminare pilam, LEGES, juvat atque referre:*
 *Aurea dum* loculo non petit *aura* tuo.

Eapropter reſtricta eſt replicandi vices in Judiciis licentia, ne certum numerum egrediantur, *venerando inſtituto*! Partium altercandi pruritum ad moderationis terminos reducere conatus eſt Imperator *tit.* Inſt. XV. de *pœna temerè litigantium*, ut *juramento* calumniæ, *mulcta pecuniaria*, &c. de quibus Commentatores.

 IV. Vo-

IV.

Interdictorum I. OBJECTUM. Vocant nos INTERDICTA ex tit. XV. quæ olim Formulæ erat Prætoriæ, nunc Actiones *Extraordinariæ, quibus in cauſa veræ vel quaſi-poſſeſſionis inter partes diſceptatur*, I. PRIMO omnium conſiderari debet OBJECTUM, quod eſt *poſſeſſio*. Acerrimè diſputatur, quid ſit Ens hoc famoſum, unde tot *jurgia* fluunt; tot etiam *beneficia* confligentibus in jure profutura, quorum princeps §. 4. proponitur. *Per poſſeſſionem*, inquit Ill. Puſendorfius. l. IV. c. 9. §. 7. *intelligimus non quamvis rei detentionem, qualem* v. g. cuſtos, adminiſtrator, commodatarius aut uſufructuarius *circà rem alienam habet, ſed talem, quæ conjuncta eſt cum affectione & animo ſibi habendi. Eam dividunt in* naturalem & civilem, *quæ diviſio iterum accipitur vel de* modo poſſidendi *ſeu detinendi, vel* de ipſa formâ *poſſeſſionis*. Vide omninò quæ ſequuntur. Poſſeſſio *in GENERE* vel *conjuncta* eſt cum *opinione juſti* dominii, aut ſecus: Iterumque aut cum *corporali* inſiſtentiâ conjungitur, aut *animo merè* retinetur. Ita enim deſcribit Cæſar, ut (α) dicat, aliquem *vi dejici* poſſeſſione, quæ *reſtitui* debeat, quo modo ſumitur pro *corporali inſiſtentia* § 1. & 6. (β) *pro poſſeſſore poſſidens* nullo gaudet Jure, *ſciensque* ad ſe non pertinere rem, *tamen poſſidet* §. 3. ſic poſſeſſio ſumitur pro *detentione injuſta cum animo habendi*. (γ) in §. 4. memoratur; dubium ſæpè oriri, ut neſciatur, quis ſit poſſeſſor: Ergo ſumitur hîc pro *Jure declarato* uter *prior poſteriorve poſſeſſione*, ſuſpenſo hactenus judicio, donec neceſſaria probentur. *Uterque* enim & animum habet, & Jus adparens, & fortè *neuter* corporalem inſiſtentiam. (δ) Poſſideri poteſt per alium, v. g. *in depoſitario, commodatario* §. 5. Ipſe enim dominus, ait Cæſar, poſſidere videtur. Ibidem aſſerit, *ANIMO quoque ſolo poſſeſſionem retineri*, ut quamvis non ſit IN poſſeſſione, neque ejus nomine alius, tamen ſi reverſurus diſceſſerit, *animo poſſeſſionem non relinquendi, POSSESSIO MANEAT*. Ergò diſtinguit Cæſar hæc duo, *ESSE IN POSSESSIONE ET POSSIDERE*. Poſito igitur, quod aliquis ſuperveniens agro, eundem bonâ fide inſideret, animo habendi titulo juſto: *abſens* poſſideret, *hic* eſſet in poſſeſſione. *Quam intricatum!* An verò dicendum eſt, ad ſalvandam *definitionem* poſſeſſionis caſu hoc contingente, abſentem excidere poſſeſſione, ſervato Jure? quod

nollet

nollet tolerare Cl. *Huberus*, qui *Jus à poſſeſſione*, nî fallor, haud diſtinguit. Audiamus: §. 2. h. t. infit: *Qui habet poſſeſſionem, is hoc jure gaudet: qui poſſeſſionem non habet, is neque commodo poſſeſſionis fruitur: adeoque ſatis puto conſtare, quòd is, qui poſſeſſionem amiſit, nullum Jus poſſeſſionis habeat, neque ſe commodo poſſeſſionis tueri queat. Habet quidem Jus ad recuperandam poſſeſſionem: Sed recuperare ſatagit, ut JURE POSSESSIONIS iterum gaudeat.* Hæc illibatâ præjudiciis mente ex textu colligo, neſcius quid in re vehementer obſcurâ ſentiant Doctores, quos neque conſulam, utut obvios & adjacentes. Si rectè conjicio, Poſſeſſio in LL. *non ex animo* ſolum, nec comprehenſione *corporis* aut cuſtodiâ vel *detentione*, quam vulgus poſſeſſionem vocat, ſed ex Jure, & χύσει quadam ad illud deſcribenda eſt, ita quidem, ut, qui *poſſidere* dicendus ſit, præmonſtret κριτήρια in *judicio poſſeſſorio* communiter quæſita & ventilata: Quapropter difficillimum eſt ſibi Ideam ſtatuere, velut in *Ente adgregato*.

V.

II. SECUNDO notari debet DIVISIO triplex. (α) *Prima* eſt, diſtinguens in *prohibitoria, reſtitutoria, exhibitoria.* PROHIBET Prætor, ne quis VIM faciat *ſine vitio* poſſidenti, *ſepelientem* impediat, in loco ſacro *ædificet*: quod juxta ἔτυμον vocis verè eſt *interdicere*, h. e. *vetare*, *inhibere*. Vereor ut hæc multum abeant à *lege prohibente!* RESTITUIT Prætor, v. g. *bonorum poſſeſſionem*, qui pro *herede* poſſidet, vel eam *unde vi* quis dejectus eſt. EXHIBET *liberos* parenti, *liberum* ſuæ libertati, *libertum* patrono. Hæc ex §. 1. Caſum actionis *de libero homine exhibendo* proponit ex *Hortledero* Schilterus *Exerc. III.* §. 23. de *Henrico* Brunſvic. & *Eva Trottinâ.* (β) Secunda diviſio continetur §. 2. 3. 4. Suntque Interdicta vel *adipiſcendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ* poſſeſſionis. ADIPISCUNTUR, quod nunquam poſſederunt e. g. *bonorum poſſeſſores*, hoc eſt, Prætoriani heredes, ex interdicto *quorum bonorum*, quo non jura & dominium, ſed *mera detentio* quæritur, ut differre intelligas à *petitione hereditatis.* Huc pertinet interdictum *Salvianum*. Otiosè diſceptari videtur, num Jus illud, quod interdicto hoc mediante expleri debet, ſit *Jus in Re?* Eſto! nec poſſeſſionem eſſe *Jus in re*, multò minus *Jus ad poſſeſſionem*: quid hoc ad opes Græciæ, quid ad Jus dicundum?

II. DIVISIONUM triplex Claſſis.

 dum?

dum ? Saltim *ἀνάλογον* quid cum *hereditatio Jure* habet Interd. *Quorum bonorum*, & cum *pignoris vinculo* Salvianum. *Huberus* fundamentum collocat *prioris* in *poſſeſſione Prætoriâ*, cujus intendatur PRÆSTATIO. Ergò in hujus JCti Philoſophiâ diſtingui debet in poſſeſſionem, quæ ſit in *actu primò & ſecundo*: Præſtitâ enim poſſeſſione quid adquiritur? Poſſeſſio, ſed *actualis*. *Alterum* transeo. RETINETUR poſſeſſio per *Uti poſſidetis* & *Utrubi*. ILLUD eminet prudentiâ fori. Æquiſſimum eſt, *ſervari poſſeſſionem* exagitato per actionem *petentis*, donec de dominio conſtet per lucûlentas probationes. Adeoque ſapienter Jure utitur *methodoq;* ad illud obtinendum, qui de hoc Interdicto ſibi, ſi poſſit, ſedulò proſpicit, onere levandus probationum de dominio. In *dubio* hodiè pro illo definitur, qui tempore litis conteſtatæ *nec vi, nec clàm, nec precario poſſidet*: vel ex Jure Canonico, qui *antiquiorem* allegare poteſt poſſeſſionem. HOC interdictum vocatum *Utrubi*, non differt à priori niſi ex *objecto*, re mobili: quam propriè *non poſſideri*, ſed *apud nos eſſe*, ridiculum fuerit aſſertu, ut voluiſſet *Manzius* apud Eckold. *Comment.* §. 1. ad *π. utrubi.* Hoc beneficio interdicti fruuntur non illi duntaxat, qui *ipſimet*, ſed etiam qui *per alios*, v. g. *colonos*, *procuratores*, *amicos*, poſſident: quod juſtiſſimum eſt; Per alios quod facimus, *ipſi agere putamur* ob connexionem rei & voluntatis. RECUPERATUR *amiſſa poſſeſſio* cumprimis nobili interdicto *unde vi*, cujus ope poſſeſſor vi dejectus recipit poſſeſſionem fundi ſeu ædium cum fructibus. Id æquiſſimum eſt, quòd invaſor ſine intervallo *iterū dejectus* non gaudeat hoc *interdicto*. Prætereà, quod, licet poſſeſſio ad hæredem non tranſeat, *Jus* tamen tranſeat *recuperandi* Singulare ſed conſentaneum eſt τῇ ἀναλογίᾳ Juris, ne qui *dominus* eſt alterum dejiciat, & quòd *hic*, utut *vitiosè* ab illo poſſideat, hujus interdicti clypeo prætegatur. (γ) Tertiâ diviſione diſcrimẽ efficiunt inter *ſimplicia* & duplicia interdicta, quorum hæc etiam *mixta* ſalutantur. Cum verò aliquem *actorem*, alterum *reum* eſſe oporteat, commodè factum eſt, ut, qui *prior* ad Judicem provocâſſet, actoris perſonam ſuſtineret.

V I.

III. Methodus procedendi.

OBSERVO III. Judicium poſſeſſorium hodieque *momentaneum* eſſe; Methodus tamen procedendi diſtinguitur in *ſummariam* & *ordinariam*. Ibi Jus exercetur ἀνὰ πολλῆς φαντασίας, prout commodum

modum videtur: Hîc ſolenni ſolitoque more. Par eſt autem, non utile duntaxat, ut concurrente petitorio & poſſeſſorio hoc prius finiatur, ne pariatur confuſio. An in hiſce conventio cum reconventione *cumulari* poſſit, diſputatur inter *Huberum* & *Scholiaſten*, qui videantur. Id utilius cogitatu: Quod poſſeſſio ipſo jure deſcendat in heredem, citrà quidem adprehenſionem: diſtinguit enim Schilterus *Ex. XLVII. §. 57.* Inter acquiſitionem *originariam* poſſeſſionis & *derivativam*: quamvis illa, *non hæc* indiget ex NATURA rei *adprehenſione actuali.* Sophiſma illud Platonico haud abſimile: Aut *mortuus aut vivus* transmittit poſſeſſionem; ſed *neutro mod* . E. reſolvitur addendo *tertium*, quod moriens. Idem Auctor ib. §. 58. Tu vide, quid dixerim ad tit. de *teſt. ord.*

## *Ad Lib. IV. Inſtit. Tit. XVII. & XVIII.*
## DE JUDICIS OFFICIO ATQUE JUDICIIS PUBLICIS.

I.

NEgligentius quàm vellem in hâc inſigni materia verſatus eſt Hodogeta noſter, non hîc quidem in prælect. ſed Lib. III. Sect. II. de *Jure Civitatis.* Nos brevitatis ſtudioſiſſimi pro inſtituto quædam obiter delibabimus. OBSERVO I. Nullam facilè rempublicam conſiſtere *ſine Legibus & judiciis*: eapropter, ut Majeſtatis inter officia ponitur, *conſultare* de commodis, *præceptis* honeſta quævis & proficua Civitati imperare: ita tribunali opus eſt, quo non tantum *delicta* examinentur & ſuis ex cauſis puniantur, ſed etiam *lites* orituræ ſopiantur divellantur, & hoc ipſo JUS SUUM, cujus gratiâ obtinendi ſervandique in Civitatem liberi homines confluxerunt, *unicuique tribuatur* Ergo cùm aliter *malitia*, πλεονεξία & *habendi ſtudium* non ferat, quàm ut contentiones oriantur, pacem Reipublicæ vel ἀμέσως vel ἐμμέσως convulſuræ, facilèq; vis major minorem opprimat, parato ad cædes & miſerandam confuſionem incendio: ideoque mediis opus erat, quorum ope ἀδικία omnis, & animorum ex læſione irritatio tolleretur. Qualia ſint in St. N. alibi ex Grotio diximus, v. g. *Sors, amicabilis compoſitio, arbitrium* Judiciorum neceſſitas.

*trium compromiſſarium*: at in Civitate, quæ ſuperiorem habet, expeditius nihil eſt & vigoroſius JUDICIO, quod *imperio* armatum, auctoritate pœnisque ex potentiâ ultricibus absque negotio *lites* dirimit, dijudicat, & componit. Ἡ γὰρ δίκη, inquit Ariſtoteles 1. Pol. 2. πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν. Ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις. *Juſti judicium* eſt Judicatio; inde ordo ſalusque Reipubl. conſervatur. II. Illud officium cum *ſummus* Imperans ipſe non valeat exequi ob multitudinem cauſſarum, *Magiſtratus* conſtituit, iisque pro modulo temporum rerumque facultatem tribuit, majorem minoremve, aut imperio ſolum *mixto* aut *mero* conjunctam tribuit. Qui enim judicis officio fungitur, *vim* habeat ſufficientem oportet *&* dicendi ſententiam, *&* eam ad effectum perducendi, ne in ludibrium auctoritas *Principis & ſua* convertatur. Ut tamen Jurisdictione gaudeat *gladio armatâ* neceſſe non eſt, modò à Superiore proficiſci poſſit, unde ſibi metuat civis improbus. Quapropter anomalum quid erat in Republ. Romanâ, quòd Quirites vel libertate vel civitate privari, quantumvis ex atrociſſimo delicto, minimè fas eſſet, nedum occidi: propterea *aqua & igni* interdictio à Prætore introducta eſt, ut ſubtracto victu ſolum vertere reus cogeretur: notante Briſſon. *ſelect. Jur.* l. III. c. 15. Sæpè gladio non opus eſt, ut in cauſis civilibus. Quid *Prætoris, Conſulum, Præfecti* urbis officium fuerit, quæ indoles *vetuſtæ & modernæ Jurisdictionis*, quis *ordo* Proceſſus apud veteres Romanos? quid *in Jure*, quid *in Judicio* tractaretur? & plura alia, pulchrè deducit Cl. *Schilterus* Ex. ad π. V. VI. ſeq. III. MODUS aliquis ſervari debet inter tres perſonas principales *Judicem, actorem & reum.* ILLIUS erit v. g. ut *factum contractus aut delicti* adcuratè perdiſcat, ejus rimas & *certitudinem* omnem, atque poſteà eidem Leges adplicet, vel à ſe cognitas, aut à JCto aſſeſſore explicatas: *ex æquo* agat, integra fide: ſi *ex formula*, pœnarum mollis dictator, *non carnifex* publicè ulturus quos privatim odit. ISTIUS; ne *jure* ſuo nimis petulanter utatur: neque enim præceptum eſt Jus ingredi, ſed licet, facto *manſuetudini, patientiæ, charitati* loco. *Tractos* in Jus olim eſſe, non ſolum vocatos, memorant faſti Romani, Oratores, Poetæ. In Tabb. XII. extare meminit *Gellius* l. X. c. 1. *Manus injectio eſt, in Jus ducito.* Immodeſtum! Etiam ſi vocetur, quem revereri, quem amare oportuit. Alia ſexcenta monent *Antiquarii & Commentatores.* HUNC favor

ſequi-

ſequitur, jubetque ſanctior æquitas, ne condemnetur inauditus, ne transactioni via præcludatur tractuque judicii cum facultatibus pereat. Unde *Dicaſterio VVeſtfalico* nihil *abſurdius, crudelius, ſtultius!* de quo jam abolito *Cl. Dattius.* Item Proceſſus qui *incipit ab executione. Remedia* quoque danda ſunt adpellationum, provocationum &c. ſtatutâ tamen pœnâ, ſi Jus cavillentur. Incido in locum Taciti l. XIV. *Auxitque Nero Patrum honorem, ſtatuendo, ut qui à privatis judicibus ad Senatum provocaviſſent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus hi qui Imperatorem adpellarent.* Ad modum pertinet OECONOMIA Proceſſus, qui quò *citior & ſimplicior, eò* melior. Valeant Rotæ Romanæ, Juriſfragia & mæandri litium inextricabiles.

II.

His præmiſſis *tria* verba colligo ex aſſertis Huberi (α) Antiquitati tribuendum, quòd aliud ſit *jus dicere*, aliud *judicare*. (β) Judex ſententiam laturus *ex actis & probatis*, ſi *melius* rem ſciat, aut errorem abſtergat, aut, quod vult noſter, officio cedat. Intereſt quidem Civitatis, ne niſi ex probatis judicetur: Sed major vis conſcientiæ; non quidem ad hoc, ut *contra acta* judicando ſcandalum det improbæ ſententiæ; ſed ne *fungatur officio* ſeſſurus in tribunali. Attamen hoc integrum illi eſt facere, *imò tenetur*, ut ne latentia in negotiis *ſemina æquitatis* negligat; ſed protrahat in lucem, licet fortaſſis aliud aliis & imprudentibus videatur ex *filo conventionis.* (γ) πολυθρύλλητος diſtinctio inter officium *nobile & mercenarium* parum præ ſe fert gloriæ, ſi *vocabulo* magis quàm veritati ſit attendendum. Enimverò quis neget, aliqua facere non niſi adpellatum Judicem, ſi *ortum* conſideres litigii civilis aut *actus* aliquos, quos non niſi rogatus exercet v. g. *legitimatio, datio tutoris*: Verum hoc non eſt *Judicem* agere, verum vim *Magiſtratus* exercere: neque id volunt diviſorum definitiones. *Nobile* vocant, quod *per ſe ſubſiſtit*, neque *ſervit* actioni: *Alterum*, quod ſecus. Id ἐξαγώνιον, ad Iudicem pertinere, ut quamprimum audiat vocem aut FAMÆ aut ACTORIS; DIC JUS! Ipſe ſciat atque ſcire ad amuſſim debeat, quid ex *formulâ*, ex *Legibus*, ex *æquitate*, ex *tacito conſenſu* partium, ex *ordine* proceſſus ſibi faciendum ſit: quid ex his nobile, quid mercenarium voces, perinde erit.

Obſervationes de Judicis Officio.

III.

Publicorum delictorum natura.

Ad ultimum *Tit.* XVIII. accedo, qui PUBLICA DELICTA enumerat. Ambigitur, in quo conſiſtat *formalis differentia* judicii publici & privati. An illa? quod accuſandi facultas *cuilibet è populo* concedatur, quod hodienum uſu tritum non eſt. Sed etiam *in popularibus* illa facultas datur. Extantius diſcrimen in eo veterum ritu adparet, quòd Actor *inſcribere* ſe & ad *talionem* obligare debuerit; Saluberrimo in tanta accuſandi licentiâ inſtituto, ex ſententia & meâ & *Ariſtotelis* l.6. *Pol.*c.5. ſtatuentis: τὰς γινομένας δημοσίας δίκας ὡς ὀλιγίςας ἀεὶ ποιεῖν *parcius Judicia publica conſtituenda* eſſe, maximâ ſtatutâ pœna εἰς τὰς εἰκῆ γραφομένας, qui *falſò ſe INSCRIBERENT*: i.e. calumniarentur *Ritus* breviter explicat Auctor; De *Urna, calculo, Lege Glaucia* plures commentantur, interque illos Briſſonius de *Form. lib.* V. Ratio deprompta ex vulneratione Societatis Civilis & Majeſtatis *nominis* menſuram utique explet, non *exemplum* omne publicis delictis adſcriptum, v.g. *adulterium*. CAPITALIA in his ſunt, & quæ *intra ſupplicium* ultimum conſiſtunt. Lata hîc ſeſe panderet *dicendi occaſio*, ſed parcimus verbis. Sub judice lis eſt, an detur capital in Statu æquatorio ex Lege Naturæ *preceptivo*: Nos negamus cum Grotio. Occidi poteſt reus, ſed ex *cauſa offenſionis*, non ſemper occidi DEBET. Q. An quædam ſint capitalia ex *Lege divina* tam ante-Moſaicâ quam forenſi Hebraicâ? Priori ſenſu Lex *Gen.* IX. 6. diverſimodè exponitur. Et poſito, de Magiſtratu agere, an non poſſet *diſpenſare?* Leges *forenſes Moſaicæ* magnam partem ex ſtatu illius Civitatis depromptæ ſunt, quod nemo inficias ibit. Quæritur tantum, an OMNES? In Civitate capital committi poſſe, neceſſitas docet *medii ad finem*. Quis dirigat Rempublicam, quis tranquillam ſartam tectamque cuſtodiat ſine ſuppliciis? Vide *Grotium* ad lib. III. c.20. &c.

IV.

Criminum Enumeratio.

Adeamus CRIMINA, quorum (α) primum eſt LÆSÆ MAJESTATIS, quod auctoritatem perſonamve ejus, qui τὸ κύριον habet, *Regis, Senatus, populi*, atrocibus verbis factisque immediatè, aut per aliquid intermedium, ſtatuam v.g. contumeliâ afficit, violat, lædit. Habent hæc rimas ſuas: Caligula aliquis, noctu vagatus per vicos loris cæditur, nec tamen eſt crimen L.M. ex manifeſta causâ. Sæpius

*idem*

*idem* crimen civibus impingitur ſub Tyrannis, impotenti dominio, Regibus liberis, *quam alibi*. In ſtatu *mixto*, quem vocant h. e. confuſo, in *quos quave* ratione crimen illud perpetretur, non adeò liquet. Doceatur prius, *ubi ſit Majeſtas*, priusquam ſcelere dicatur pollui? Talisſmodi autem facinus acerbè puniendum eſſe, σχέσις exigit & *concentus Civitatis*, cui proculcatâ imperantis veneratione nihil infeſtius. Verùm *ad poſteros* extendi ſupplicia patrum perduellium, horribile ac *furioſum*. (β) ADULTERII rationes ex parte mariti producere, nihil hunc locum attinet. confer *Schilt*. Exerc. XLIX. §. 87. ſeq. qui ad hoc facinus plus adhuc expoſcit, quàm quod *Solon* & *Draco* dixerunt, ἄρθρον ἐν ἄρθροις ἔχειν. Acerbius puniendum ob frequentiam: *Morte* non ſemper, utut *poſſit* exemplo divino præeunte. Sapienter L. Juliâ *de ſtupro* cautum, ut acerbè puniatur: Honeſtati conſulendum ubique eſt. *Sodomitas* natura horret, tellus expuit, *Lev.* XVIII. 28. nullus ignis ſatis vindicat: Sed & fœdis χειρουργήμασι, *maſtuprationibus Cynicis*, obex ponendus eſſet in tanta ſceleris muti frequentiâ & contagione. Doctrina de *Inceſtu*, quæ hûc pertinet, obſcura eſt, ſi demas lineam perpendicularem: Unde & pœnarum irrogationes fluctuant. Olim dicta non repetimus. (γ) HOMICIDII pœnam Seldenus exactè ad Jus Hebræorum perpendit *lib. IV.* c. 1. Quid noſter Jure Chriſtiano? Occidatur! De *taxa* Cædium vide paſſim *Baluzium* in Capitul. ubi de Homicidio agitur. Curioſum, quod in Lege *Salica* tit. LXI. de καθαρμῷ & *expiatione* dicitur. Quid *Chrenechruda* ſit, commentantur du *Freſne*, *Spelmannus*, alii. Nil quam *jactatio herba* eſt memorata loco mox cit. *Legis Salic.* Peperciſſe Chriſtianos homicidis, ut ſeverius quàm excommunicatione non punirent, nihil juvat oſtendere. Sciendum tamen, id primis ſeculis valuiſſe, cum Jurisdictione *meroq; Imperio* careret Eccleſia. *Ambulare cum telo*, cogitare facinus & occipere, juxta L. Corneliam ſupplicio punitur: Sed ejus ratio *Sicariorum* frequentia. *Sicas* deſcribit Briſſon. l. 2. Sel. ant. c. 11. Suidas τὰ ἐπικάμπη ξίφη adpellari dicit. *Veneficos* juſtè occidi, quis ambigat? Studioſè necant, non impetu: ut illuſtres non ita pridem fæminæ maritos *pulvere ſucceſſionis*. Sufficit occidiſſe, perinde eſt *quâ arte, quo modò, clam palamve*: Aſperatur vero pœna ſupplicii, ex *frequentiâ, perſonâ, modo, loco*, aliisque *circumſtantiis*. Magi tamen & incantatores, quos *necari Exod.* XXII. 18.

Lev. XX. 27. *abominationi* eſſe *Deut.* XVIII. 10. DEUS voluit, ad ignem temerè rapiuntur, niſi damni in vitam & blaſphemiæ confeſſi. Singulare enim & ad Civitatem *Hebraicam adcommodatum quid* eſt, quòd *hariolis, Sibyllis, Therapeutriis*, de quibus multa *Poëta*, & quæ tanquam *Sagæ* futura *præſagiebant*, mors indicta fuerit: cùm vel *abnegationi* veri DEI conjuncta fuerit iſthæc impietas, vel *ſevero* ſupplicio *Gentilium* illos *prophetas* ſuis infenſos ſuæque gloriæ coërcere voluerit DEUS. vid. Grotium *locis cit.* & Clericum ad *Lev.* XIX. 31. Parricidium atrox facinus L. *Pompeja* vindicatur, ortum ex cæde conſanguinei: non impingendum Patri, ob favorem poteſtatis ipſi conceſſæ, ne *Parricida* ſed *homicida* credatur. Inanis lenitas! ſi effectum detrahas pœnæ, quæ *ſpecioſa. ſymbolica. exemplaris.* Contraham vela. Cur FALSUM, VIS PUBLICA, PECULATUS caſtigentur, unum crimen altero acerbius, patet ex adjectis rationibus. Sic *ſervo capitale*, verum dolo ſupprimere. VIM deportatio ſequitur & publicatio partis bonorum: gladius, ſi in *virgine rapta* peccatum. PECULATUS nocet Reipublicæ, furatur omnibus, ex communi ſubſtantiâ prædam agit. Grande facinus furti *ex objecto*, pecuniæ publicæ: *Majus*; ſi in homine *libero* patretur, plagium vocant, & capitale crimen ex L. Fabiâ. Crimen ANNONÆ quid quàm *furtum* eſt & *cædes*, morituris fame civibus? RESIDUORUM tenetur, qui pecuniam publicam in alios, quàm præfixos uſus, divertit. Flebile exemplum in hiſtoriis & innocens *Semblançay* Regius in Gallia ærarii præfectus! REPETUNDIS quid frequentius? Pars *ſalarii* creditur eſſe, officii *uſu* vel *neglectu* captare pecunias.

Quid loquar de AMBITU: peſſimo omine *Modeſtinus* orditur l. *unic.* pr. π. de L. Juliâ ambitus: *Hæc Lex in Urbe* (ORBE) HODIE CESSAT.

## *HIC TERMINUS ESTO!*

ANCHORA JAM MORDET LITTUS, CURSUMQUE PEREGI;
ÆTERNÆ LAUDES SINT TIBI, SANCTE DEUS!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE